perdurandæ deservire posse judicabuntur, tractare, &
te Divinâ Clementiâ, continuantibusqve receptarum r
ium, earumqve Excellentissimorum Dominorum Leg
ediatoriis Officiis, per Ministros ab utrinqve sufficienti
ate & Plenipotentiâ instructos, & Deputatos, conven
, reservantes altissimè & altè præmemoratorum Domi
incipalium Fœderatis, Regi scilicet & Reipublicæ Po
c non Caro & Magno Duci Moschoviæ, ut vigore I
reciprocis declarationibus sibi qvæsiti, pariqve sub
ciendœ hinc inde pro jisdem utiliter pacto & acceptat
mento, *uti possidetis*, dicto illi congressui intervenire, atqve
am sua cum Otthomanica Porta Pacta Pacis, uti jam Augu-
ssimus Romanorum Imperator & Serenissima Respublica Ve-
ta stabilire valeant, & firmare, reqvirentes receptarum medi-
onum Excellentissimos Dominos Legatos, ut declarationem
ostram, observatis tamen & priùs verificatis ex parte Portæ
tthomanicæ supra positis, simultanei ad hanc declarationem Pro-
ssûs, & recepti similis instrumenti, Nobis ad effectum con-
hendæ Dominorum Principalium obligationis, hnc remitten-
Circumstantijs, Portæ Otthomanicæ insinuare, atqve etiam ex-
dere non graventur. In qvorum Omnium fidem præsen-
n declarationem subscriptione Manûs propriæ & appositione
ostri Sigilli Naturalis, firmavimus, & corroboravimus. Da-
n Viennæ 23. Iunii Anno 1698. Franciscus Comes Kinski,
rolus Resyni Eqves. (L. S.)

W tey tedy deklarácyey zwazywßy essentialia, *ktoreby Intere-*
Polskim niosty qvàm maxima damna, & læsionem fœderis
ri, *ktore* vetat in eum sensum : Qvod in societate illa belli
ensivi, & defensivi permanentes partes, nullo modo & præ-
tu seorsivè, etiamsi opima, optima & maximè favorabilis al-
tri illarum oblata esset, acceptare debeant pacem, nisi simul
semel in eandem utraqve pars consenserit, eandemqve ac-
taverit. Et in fœdere cum Serenissimo Caro Moschoviæ

Cineres, corruptionis inſcij, CONCHÆ Noſtræ MAGDALENÆ, Terræ relicti, infirmis valetudinem, afflictis nova ſolatia, deſperatis non fruſtraneam ſpem, millenis pereuntibus infortuniorum procellis cauſant portũ ſecuriorẽ. O felicem! ô inæſtimabilem CONCHAM! MAGDALENAM, quæ non in vulgari, aſt in MARI MARIANO orta, nec ſolùm mundo neceſſarias, verùm etiam Cælo appetibiles gemmas parturijt. Veſtrum inde decus maximum, MARIANI ÆQVORIS Navarrhi optimi, Stellati Montis Incolæ, non degeneres zeloſi PATRIS Filij, qui in MARI hoc, talem nacti eſtis CONCHAM, cujus pretioſus fetus, clarius veſtris ſideribus lumen adauget, talem favore Cælorum Seraphicæ cognatã Domui GERMANAM ſortiti, quæ San-

Orbi patefecit, adversus quam, etsi consurgant infernales Zoili, catervatim hostium irruentes Cunei, non prævalebunt.

Vix præstantissimæ ÆQVORIS MARIANI CONCHÆ, valorem animus imperiti Oratoris scrutari aggressus, lingva occultas gemmarum. Ejus qualitates enarrare exorsa, illas non dico appretiâsse sufficienter, sed nec incepisse quidem æstimandas fatetur, jamq; desinit. Nonne difficilè mortali genio æqualem Cælorum Margaritæ æstimare CONCHAM? difficilè hujus modicô temporis intervallô, qualitates enumerare, quæ, tota æternitate, lingvis Angelorum narrabuntur. Taceam ego, Tu gloriare in æternum Crystallino ad faciem Conditoris Marinum

um

excellerint; decor illius cum haustu unico Antonij perijt, Nostræ soli Cælorum Regno comparandæ Gemmæ, quas deglutijsse & ipse Avernalis Pluto nunquam poterat, absq; minimo mutationis detrimento, semper servabant pretium. En, ut his & Superûm adornasset Domum, post abundè concessum splendorem suum Vniversi oris, MARE suum secuta, cujus termini Empyreos excedunt limites, cum magno spectantium mærore, mox gaudio, in Cælum CONCHA Nostra, translata. Ergòne jam hâc destituta Terra, suo decore privabitur? ergone gemmarum Ejus pretium egestatem ampliùs non sublevabit mortalium? minimè. Gemmæ in pulverem tritæ (Medicorum assensu) ægris sanitatem propinant, Sacri

C Cine-

Apol:

ANIMADVERSIO
IN
IOANNEM HVLSEMANVM, MINISTRVM VITEMBERGENSEM.

Cum Defensione Satisfactionis, ab illo in Colloquio Charitatiuo Thoruniensi requisitæ, & ibidem exhibitæ.

AVTHORE

R. P. F. HIERONYMO à S. HYACINTHO, Definitore Carmelitarum Discalceatorũ Prouinciæ Polonæ, ac Concionatore Ordinario Ecclesiæ Cathedralis Cracouiensis.

Erem Camaldul ppe Varsaviam

Cum Superiorum permissu.




CRACOVIÆ,
In Officina Viduæ, & Hæredum Andreæ Petricouij, S. R. M. Typographi. Anno Domini 1646.

Ab Aduerſario mota Quæſtio, diſcendi exiſtit occaſio. Multa quippè ad fidem pertinentia, dum Hæreticorum callidâ inquietudine exagitantur, vt aduerſus eos defendi poſſint, & conſiderantur diligentiùs, & intelliguntur clariùs, & prædicantur inſtantiùs. *S. Auguſtinus Lib: 16. de Ciu: Dei, c. 2.*

Ille in iudicio contendit, qui impugnat veritatem iuſtitiæ: & in Diſputatione contendit, qui intendit impugnare veritatem doctrinæ. Secundùm hoc Catholici non contendunt contrà Hæreticos; ſed potiùs è conuersò. *S. Thomas 2. 2. q. 38. a. 1. ad 3.*

Cenſuræ ſiue Approbationes à principiò ante Ideam Colloquij Charitatiui ſunt appoſitæ.



PRÆFATIO.

Animaduersionem, in importunum eruditißimi Cardinalis Bellarmini Animaduersorem, hoc libello instituo. Occasionem, quæ me ad conficiendam illam impulit, primis Capitibus illius, per historicam fermè relationem, expono. Nimirùm; & contra dicta, & contra dicenda, à quodam Ministro Witembergico, IOANNE HVLSEMANO, *in causâ, quæ mihi cum illo intercesßit, Scriptum hoc, velut scutum oppono, meumq; Aduersarium, simul & retundo, & anteuerto. Si enim commendat Sapiens Eccli∫: 18. anticipata remedia, cùm ait:* Ante iudicium para iustitiam. &c. Ante languorem adhibe medicinam: *non minùs certè prouido consilio, anticipata propugnacula aduersus hostem eriguntur. Etsi enim satis benè exploratas iam habeam vires Aduersarij mei, telaq; cognita, quibus suo more præliatur; propter quod nec adeò formidandum existimem; quia nihilominùs intelligo hominem, ex quibusdam libellis, in causâ Religionis, ab ipso vulgatis, non minùs licentiosi esse calami, quàm præsumptuosi animi, operæ pretium fore arbitratus sum, petulantiā & elationem illius, magis humiliando compescere, quàm parui momenti, rationes illius examinando confutare: idq; motus potiùs insolenti eius stylo, contra Ecclesiam Catholicam, quàm dictâ occasione priuatæ illius mecum concertationis: taliter quidē quod hæc impulsiua, illa motiua fuerit mihi causa scribendi. Propter quod studiò plerumq; intersero ea, quæ sparsim in prædictis suis libellis multiplicat (quæuè alioquin specialem ex professo confutationem non merentur) quò tenue & illiberale ingenium hominis, sic Orbi pateat, vt nec suos in errore firmet, nec nostris simplicioribus imponat.*

 Et qui-

Et quidem, non est mihi animus, hominem conuitijs & contumelijs (ipsi familiaribus) aggredi. Nam vt dicitur Prou: 10. Qui profert contumeliam, insipiens est. *Nec tamen blandiori stylo ipsum tracto, sed quandoq; acriori vrgeo: quod vtiq; tam Apologiæ naturâ, quam Aduersarij conditio exigit. Apologiæ quidem natura, nequaquam patitur lentiùs agere cum Aduersario: vt enim ait S. Basilius in Ascetic: de verâ fide:* Quemadmodum non eadem instrumenta in manus sumet, & qui prælium est initurus, & qui colere agrum velit. Similiter nequaquam eodem dicendi genere vtatur, & qui in sacrâ doctrinâ cohortetur, & qui in disputatione sibi repugnantes redarguat. Siquidem aliud est genus dicendi, quo vtimur in refellendo, aliud quo in cohortando. *Et certè Aduersarium implacabilem, cruento odio Domum Christi aggredientem, & solutis licentiosiori suo stylo frenis, ac ruptis modestiæ & charitatis Christianæ legibus, acerbißima quæq; conuitia & maledicta, simul cum atrocibus calumnijs & criminationibus (vt interim priuata seponam) contra Catholicam nostram Ecclesiam, eiusq; Personas, cuiusuis nobilißimi status, iactantem, talem, inquam, Aduersarium lentis ac blandis verbis tractare, quid esset aliud, quàm ei conniuere; immò, facinori illius consentire? Hoc genus ergò scribendi Apologeticum, præsertim contra huiusmodi Aduersarium, suaptè natura excitat in Authore iram secundùm zelum, quæ rationabiliter nonnihil acuit stylum. Nam vt rectè ait S. Chrysostomus, hom: 11. in Matth:* Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec iudicia stant, nec crimina compescuntur.

Aduersarij quoq; conditio id exposcit. Hæreticus enim est; immò hæresis Minister: cui respondendum est secundùm stultitiam eius:


am eius: *hoc est, vt explicat S. Cyprianus L. de singul: Clericorum:* Reprehendendus, cum asperitate. *Tales enim, (subiungit,* non per Orationem, sed per correptionem reuincendi sunt. *Hinc & Apostolus Tit: 3. homini hæretico, vnam, & alteram correptionem vult adhibendam: quantò magis, si ille procax & insolens fuerit. Correptio porrò aliquam verborum acrimoniam requirit: & ideò hanc nonnunquam apposui; etsi, vt præmisi, memor Christianæ & Religiosæ modestiæ; illius item sententiæ, Eccli: 19.* Est correptio mendax in ira contumeliosi. *vel vt alij legunt:* Est correptio indecora, in ore contumeliosi; *non ad verba contumeliosa, contumelijs, Ministri huius, similia, prorumpo, verùm ab illis cautè abstineo. Eo porrò stylo vtor, quo vulgò SS. Patres, præsertim S. Hieronymus, & S. Augustinus, vsi sunt contra Hæreticos: quos etsi non solùm confutando, sed etiam confundendo, & corripiendo vrgerent; non tamen ideò notam conuitij, aut calumniæ subierunt, sed potestatem duntaxat authoritatiuam, quam Ecclesia, & Scriptores Ecclesiastici supra Hæreticos semper obtinēt, probârunt, & demonstrârunt. Ideoq; cùm eosdem terminos non excedam (esto sæpius extra illos euocet Minister) conuitij, aut contumeliæ reus non ero, quantumuis alioquin Aduersario non parcam.*

Et quidem, cùm ille longè grauiora & deteriora, vndecunq; illa corradere potuerat, & quæcunq; hæretica malitia aliquando excogitare valuerat, contra Ecclesiam, & Personas illius, in suis Scriptis prior euulgauerit, quo iure conqueri poterit, si fortasse rigidiùs à me tractatus fuerit? Si item; non vlciscendo (absit) sed ipsum refutando, nostraq; defendendo, aliqua sibi, suisq; veraciter obiecero, quæ ille maiori cumulo, nos prior aggrediendo, fallaciter congeßit. Sed & postquam ille dixit, quæ voluit, quomodo recusabit quoq; audire quæ

 nollet?

nollet? Postquã hæretico odio omnes Catholicos status, suo spoliauit honore, quomodo sibi à Catholicis honorẽ aliquẽ iure deferri exiget? Iudicio prudentis Lectoris decernendum totum id relinquo. Illud dũtaxat aduerto, quòd licet probus quilibet Christianus priuatas offensas, mansuetâ patientiâ tolerandas potiùs quàm vindicandas, aut reponendas censuerit, publicas tamen Ecclesiæ, & Virorum optimè de Ecclesiâ meritorum iniurias, contra hæreticam præsertim prauitatem, omni zelo propulsandas esse & profligandas, nullus arbitror inficiabitur, factumuè iure reprehendet.

Ad vltimum monitum velim Lectorem, vt si dictus Minister, contra me, vel hoc Scriptum meum, nouam aliquam rursum Machinam, cum maledictorum congerie extruxerit, non miretur, si nullum ampliùs à me, ob causas vltimis Capitibus expressas, Responsum habuerit. Vt enim S. Augustinus L. 2. de Ciu: Dei, c. 1. ait: Quis disputandi finis erit & loquendi modus, si respondendum esse respondentibus semper existimemus? Tandem, vel hoc ipso Scripto omnia illius responsa omnesq́ futuras impetitiones retundo & elido, vt non difficilè quilibet postmodum poterit aduertere. Deniq́ talium conuicia, ait S. Paulin: Epist: 27. Viuendo melius, quàm loquendo, arguimus. Porrò ne Aduersarius spe impunitatis securior, sumat occasionem licentiosiùs exorbitandi; si fortasse taliter excesserit, vt iuremerito nouam exigere confutationem, vel magis correptionem, visus fuerit, excitabit Dominus quempiam alium, qui retribuet ipsi retributionem: vt non glorietur, nec apponat vltra hic homo, se super terram magnificare.



INDEX CAPITVM.

CAPVT




ANIMAD-



ANIMADVERSIO IN IOANNEM HVLSEMANVM, MINISTRVM VITEMBERGENSEM,

Cum Defensione Satisfactionis, ab illo in Colloquio Charitatiuo Thorunienſi requiſitæ, & exhibitæ.



CAPVT I.

Occaſio porrectæ, in Colloquio Thorunienſi, Satisfactionis, ab Hulſemano requiſitæ.

INtegrum Paſtoris Eccleſiaſtici munus eſt, non modò gregem ouilis ſui omni ſtudio bonis paſcuis impinguare, ab incurſu malæ beſtiæ præſeruare; quod infirmũ ſolidare, quod ægrotum ſanare, quod confractum alligare: verùm etiam quod abiectum eſt reducere, quod diſperſum reuocare: & oues domûs Iſraël, quæ à viâ iuſtâ perierunt, ſummâ induſtriâ requirere, ac more & exemplo Supremi Paſtoris, proprijs humeris ad caulas Domini reportare. Eò reſpexit Præſulũ Eccleſiaſticorum inclyti huius Regni ſollicita vigilantia, cùm in Sacra Synodo Prouinciali Varſauiæ A. D. 1643. Menſe Nouembris celebrata, ſtatuit, vt cum Diſsidẽtibus à noſtrâ Religione Catholicâ Incolis eiuſdem Regni, Prouinciarumq; illi adiacentium, Charitatiuum inſtitue-

ſtitueretur Colloquium de rebus Religionis, per ſelectos,& ab Illuſtriſsimis ac Reuerendiſsimis DD. Epiſcopis deſignatos Theologos.

Contulit ad hoc piũ opus non modicum Sereniſsimus & Potentiſsimus Rex noſter VLADISLAVS QVARTVS: qui tanquam Primus Motor huius negotij, & S. Synodo rem propoſuit, ſuamq; in hunc finem operam obtulit: & ipſos Diſsidentes aduocauit: & denique altiſsimo ac prudentiſsimo conſilio Inſtructionẽ confectam, per omnia illi, quam Catholici Theologi ab Illmo & Rnd^mo^ Primate Regni, Archiepiſcopo Gneſnenſi receperant, conformem, Partibus porrexit.

Quoniam verò Diſsidentes Regni, à Suâ Regiâ Maieſtate poſtulârunt, quatenus exteros ſuæ Profeſsionis Theologos liceret ſibi pro ſubſidio aduocare; nec hoc quidẽ denegatum eſt illis. Vi cuius conceſsionis Diſsidentes Auguſtani quendam Ioannem Hulſemanum Miniſtrum Vitembergicum euocârunt, quem etiam Theologorum ſuorum numeri anteſignanum inſtituerunt.

In decurſu Colloquij, cùm poſt aliquot Septimanas deprehenſum eſſet, magnam temporis partem inutiliter fuiſſe inſumptam, viſum eſt Illmo D. Legato Regio, pro tunc, IOANNI LESZCZYNSKI Caſtellano Gneſnenſi, (qui in locum Ill^mi^ Principis D. GEORGII OSSOLINSKI, Supremi Regni Cancellarij, ſucceſſerat) per vnum ex Collegio noſtro Catholico, nimirum per Reuerendum Patrem Gregorium Szenofiũ Societatis IESV, Theologũ Regium, palàm & in Publico conſeſſu Partibus exponere, iacturam

tanti

tanti temporis; non aliunde prouenire, quam ob recessum ab Instructione Regiâ instituto præsenti accõmodatissima. Quibus fusiùs per Theologum nostrum declaratis, ad Sermonem illius, ex parte Reformatorum, respondit Ioannes Bergius: Ex parte verò Augustanorum, respondit præfatus Ioannes Hulsemanus. Et quidem eidem Reuerendo Patri Szenofio, obtigit prouincia replicandi Bergio: Hulsemano verò, mihi, vni ex Theologis ab Illmo & Rnd^mo D. Episcopo Cracouiensi PETRO GEMBICKI, ad hoc Colloquium destinato, est oblata, & ab Illustriss. D. Legato Regio demandata.

Quoniam verò longiorem suam perorationem Hulsemanus concluserat, declarando, se, suamq; Partem, *fiduciam nunquam extinguendæ Veritatis collocare in illo Maiorum suorum Symbolo*, VERBVM DOMINI MANET IN ÆTERNVM; post refutationem sermonis illius, quæ extat in Protocollo publico, visum erat ipsam quoq; suspecti nobis Symboli inuisam mentionem refellere, quod his præstiti verbis: *Dissimulare non possumus, Symbolum illud Maiorum vestrorum nobis non parum suspectum. Meminimus quippe nos legisse aliquando in gestis Germaniæ, quosdam occasione & prætextu Religionis, rebellionem contra memoratum* CAROLVM V. *meditatos (quam postmodùm minùs faustis auspicijs inchoatam, tristiori fato terminârunt) hæc pro Symbolo & thessera verba habuisse:* VERBVM DOMINI MANET IN ÆTERNVM: *eorumq; initiales literas suis vestibus affixas prætulisse. Non opinor Clarissimum D. Collocutorem, eò suo Epilogo voluisse alludere: hoc demum quippe à scopo & indole huius Colloquij foret non parum abludere:*

Verbum quidem Domini maneat in æternum: At hoc Symbolum, quâ nobis est, vel potest esse suspectum, ab hoc inclyto Regno exulet in æternum.

CAPVT II.

Quomodo Hulsemanus protestatus fuerit, & contra illum reprotestatum: atque requisita Satisfactio ad Acta oblata.

POst meum Sermonem, mox Hulsemanus eiusmodi contra me intulit Protestationem: *Illustrißime & Reuerendiss: Dñe, quæ publica sunt omittam, vt Illustriss: Dñus Castellanus Chelmensis prius poßit dicere. Sed hîc aliquid occurrit priuatũ, de quo silere tanquã subditus Serenißi: Electoris, Domini mei Clementißimi, non possum: Verba illa quæ Rebellionẽ aduersus* CAROLVM V. *præseferebant, iniuriosa sunt. Ex Actis publicis constat, qui nam illi fuerint quos & æquitas, & ius naturale coëgit arma defensiua suscipere. velle autem illa arma, eorumq; expeditionem in publico Rebellionem dicere (dabunt mihi veniam Illus Vestræ) hoc demum est quod præterire non possum. Reuoco mihi verba illa ad animum: & peto Satisfactionem fieri tàm Serenißimo Principi Saxoniæ, qui tamen est Summus Dux, & Vicarius Imperij, & de Republ: non tam malè meritus, vt Serenitatis Suæ Maiorum Arma defensiua, Rebellionis crimine notari mereantur: quàm toti Domui Saxoniæ. Et peto, vt authoritate Illmarum DDnum VVrum referant Notarij in Acta (nisi iam id sua sponte agunt) Protestationem meam de imputatione Rebellionis.*

Subeo-

Sub eodem actu Reproteſtatus ſum, & pariter proteſtatus contra eundem Hulſemanum, in hac forma: *Expoſtulauit D. Collocutor Partis Auguſtanæ de clauſula mei ſermonis. Sed quia non eſt huius loci negotia Ducis & Ducatûs Saxoniæ tractare, in quocunq; alio loco & foro paratus ero reſpondere, & dictorum meorum veritatem comprobare. Atq; ita quantum opus eſt, contra Proteſtationem Domini Collocutoris Reproteſtor, & contra illum Proteſtor, &c.*

Euocatus itaq; ab Hulſemano obiectione criminis falſi, & poſtulatione Satisfactionis neceſsitatus, eam quàm à me requiſiuit concepi Satisfactionem: Et quoniam, (non obſtante eo, quod me reuocabam ad alium locum & forum competentius, in quo cauſam hanc cum Hulſemano tranſigerem) deprehendi Proteſtationem Hulſemani, & poſtulationem Satisfactionis per me faciendæ Actis Protocolli publici huius Colloquij, ad eius inſtantiam, fuiſſe inſertam: non modo iuſtum, ſed neceſſarium quoq; arbitratus ſum, imò & Supremorum Regni arbitrio inductus, quatenus alterius loci vel temporis opportunitatem non expectando, ad eadem Acta Protocolli Satisfactionē meam offerrē, vt ibi inſerta reperiretur, vbi requiſitio eius vrgebatur.

Igitur die 28. Octobris congregatis ſimul Illuſtriſsimis & Perilluſtribus DDnis Legato Regio, & Deputatis Partium; ſcilicet, Partis Catholicæ, Auguſtanæ, & Reformatæ (vt vocant) & in præſentia omnium ſeptem Notariorum huius Colloquij, dictam Satisfactionem, quam à me requiſiuit Hulſemanus, & ipſum ius naturale defenſionis extorſit, præſentaui, atq; ad Acta Publica obtuli, & vt ijſdē Actis

 inſere-

insereretur, postulaui in hunc modum: *Illustrissimi Dñi, Cùm in vltimo quem habuimus publico consessu, Clarissimus D. Collocutor Augustanus contra me protestatus fuerit, quasi in sermone meo Serenissimo Principi & Electori Saxoniæ, suisq́ Maioribus, crimen Rebellionis contra* CAROLVM V. (*quod ne cogitaui quidem*) *imposuissem; & super eo postulauit per me fieri Satisfactionem: ne & postulationi eius defuisse, & Serenissimo Electori eiusq́ honori detraxisse, & in probatione eorum quæ dixi defecisse, vel succubuisse videar, Satisfactionem quam exposcit D. Collocutor, exhibeo, & præsento. Quoniam verò tàm Protestatio D. Collocutoris Augustani, quàm postulatio Satisfactionis, Actis publicis est inserta, pariter & ego æquo iure postulo, vt requisita ab illo Satisfactio mea, Actis quoq́ publicis inseratur.* Quàm postulationem, cùm Illustrissimus D. Legatus, & DD. Deputati æquam esse recognouissent, Actis inseri mandârunt, ea conditione, à DD. Dissidentibus apposita, vt liceret D. Hulsemano ad eam respondere, & responsum illius Actis quoq; inserere; Porrò Satisfactionis meæ tenor erat, vt sequitur.

CAPVT III.

Tenor Satisfactionis oblatæ.

NVnquam extinguendæ Veritatis fiduciam, Clarissimus D. Collocutor Partis Augustanæ, in illo Maiorum suorum Symbolo, VERBVM DOMINI MANET IN ÆTERNVM, ad calcem sui sermonis collocauerat. Illi cùm ex ordine Ill^mi D. Legati Regij, totiusq; Partis nostræ Catholicæ

tholicæ reſponderem, dictum Symbolum Maiorum ſuorum, tanquam Symbolum Rebellium, adeòq; meritò ſuſpectum, improbaui: Ac proinde potiùs extinguendum, atq; à noſtro inclyto Regno eliminandum, quam Veritatis nunquam extinguendæ fiduciam in eo collocandam, pronunciaui. At D. Collocutor Symbolum ſuum, Maiorũq; ſuorum, non eo applauſu, quò à ſe prolatum putabat, à nobis exceptum fuiſſe, mirum in modum doluit, ægerrimè tulit, nec in ipſo ampliſsimo conſeſſu conceptũ angorem diſſimulare valuit. Porrò tàm alterati animi ſui affectionẽ, eo obduxit colore, quaſi arbitraretur Sereniſs: Electori Saxonico (cuius ſe profitetur ſubditum) haud modicum præiudicium illatum, quod in illa celeberrima & frequẽti Panegyri, de Rebellione contra Auguſtiſsimum Imperatorem CAROLVM V. fuerit inſimulatus. Quapropter tanquam de graui iniuria ſuo Sereniſſ: Duci & Electori, irrogata, præfatus D. Collocutor Auguſt: conqueſtus eſt, & ſolenniter proteſtatus, Satisfactionemq; eâ de cauſa debitam, per me fieri requiſiuit. Sub eodem Actu & Reproteſtatus, & pariter proteſtatus ſum (ſicut & nunc de facto iterum Reproteſtor & Proteſtor) contra eundem D. Hulſemanum Collocutorem Auguſtanum, quòd Actum Colloquij Charitatiui, Cauſis ſui Ducis & Ducatûs Saxoniæ, ad præſens Colloquiũ non ſpectantibus interturbaret: Simul nihilominùs ſpopondi me in omni loco, & quouis alio foro promptum futurum ad dictorum rationem reddendam, & aſſertam Veritatem comprobandam. At ne fortaſsis arbitretur, me in danda Satisfactione ab eo requiſita, tergiuerſari, viſum eſt,

non am-

non amplius differre, quòd vel ipſe libenter me præſtiturum promiſi. Hinc porrò rem exordior.

Importunè admodum D. Collocutor Auguſtanus in medium Charitatiui Colloquij attulit Symbolum Maiorũ ſuorum, quòd ex notiſsimis Hiſtorijs vix ſuſpicione vacare poterat. Eo enim Symbolo, & Lutherus ſuam ſuorumq; non modo ab Eccleſia Catholica Romana ſeceſsionem, ſed etiam illius apertam impugnationem, honeſtare voluit: quaſi pro Verbo DEI ſatageret: pro Verbo DEI contra Eccleſiam Catholicam decertaret: Verbum DEI à traditionibus vindicaret. Sic nimirum Verbum DEI, DEI Verbo, Verbum traditum, Verbo ſcripto ſupprimere conatus eſt: illud intendẽdo, vt Verbum Domini, ſine Verbo Domini, maneret in æternum.

Eo Symbolo & illi qui prætextu nouæ Religionis Luthero adhæſerant, ſuam venuſtârunt Rebellionem. Cum illo quippe Symbolo, ad Auguſtana acceſſerunt Comitia, vbi prima Cõfœderationis Proteſtantium iacta ſunt Semina: In Comitijs poſtmodum Spirenſibus, vbi apertiùs eadem Cõfœderatio aſſurgebat, idem Symbolum magis firmârunt, quinq; illis initialibus literis V. D. M. I. Æ. Phrygio opere etiam pediſequorum, & ſtabulariorum manicis intextis oſtentantes. Tandem in Conuentu Smalcaldico, vbi demum Cõfœderatio formata, in flammas belli Smalcaldici erupit, illud idem Symbolum Vniuerſim ab omnibus receptum eſt. Sic Rebellio cum illo pullulauit Symbolo, cum illo adoleuit Symbolo, cum illo ad crudam maturitatem peruenit Symbolo. Quamobrem importunè in-

quam

quam D. Collocutor August: adeò suspectum Symbolum (non quia in se malum, sed quia malè vsurpatum) Symbolum inquam, in Religione diuulsionis, intulit in Consilium reconciliationis: Symbolum dissidij, & Rebellionis, inuexit inter studia pacis & vnionis. Tanto magis verò creuit nōnullis prædicti Symboli suspicio, quod per hominē Duci Saxoniæ à bellicis (vt intelleximus) consilijs, familiarem, Sago magis quàm Toga celebrem, plus in tumultuosis, quàm pacificis negotijs exercitatum, inuectum fuerit.

Sed nec minùs incompetenter malè inchoatum, prosecutus est opus: dum quòd ante minùs cautè protulit, tam tenaciter postmodùm defendit, atq; interpositâ suâ Protestatione, à negotio præsentis Colloquij Charitatiui, prætextu læsi honoris Ducis Saxoniæ, ad Historiarū Cōtrouersias; à disceptatione de Veritatibus Theologicis, ad extraneas de Rebellibus Imperatori CAROLO V. cōcertationes; ab Ecclesiasticis causis, ad Politicas cum externis Principibus difficultates, nos auocare & distrahere voluit, occasione vel à se ipso primitùs porrectâ, illius nimirum sui, suorumque Symboli, mentione importunâ.

Iam certè D. Collocutori mens Regia, & scopus huius Colloquij luculenter fuit expositus. Non hîc danda vel quærenda erat occasio ad peregrina deflectendi. Non hîc campus erat Politica negotia tractandi. Non causas Principum, vel impugnandi, vel propugnandi. Non lites bellorum componendi, aut excitandi: Sed in pace & tranquillitate animorum, veritatem fidei Charitatiuo Colloquio indagandi: & modum quo in vnitatem eius conspiretur,

In primo sermone, qui continetur in Actu Prouocelli. inuestigandi. Non quòd Fides nostra Catholica cuiquam (quemadmodum latiùs antè insinuaui, & iterum nunc ampliùs inculco) discussioni à nobis, quasi illius veritatem nunc primum exquirentibus, subijcienda foret. Non quòd à Vobis nunc primum, an rectè credamus? quidué credendum sit? discamus, aut doceri cupiamus. Infirmi est in fide quærere quod credat, & languere circa quæstiones, vt 1.Tim 4. vocat Apostolus: *Quando anima* (ait S. Chrysostomus) *cogitationum vincitur febre, quando ambiguitatis iactatur fluctu, tunc quærit: Cùm verò illa sana est, non quærit, sed fideliter credit.* Quin & tardè nimis, imò periculosè quoque visum est, aliquando S. Ambrosio, post tria sæcula (quantò Serm: de SS. Naz: & Cels: mm. magis nunc post decem & sex sæcula) Fidem nostram Catholicam quæstioni exponere: *Nouerimus*, inquit S. Doctor, *non sine magno discrimine de Religionis veritate dubitamus, quam tantorum sanguine confirmatam videmus. Magni periculi res est, si post Prophetarum oracula, post Apostolorum Testimonia, post Martyrum vulnera, veterem fidem quasi nouellam discutere præsumas: & post tam manifestos Duces in errore perdiscutere præsumas: & post morientium sudores, otiosâ disputatione contendas.* Hæc ille Magnus Ambrosius, de cuius ore nectar & ambrosia fluebat.

Eo itaq; fine huc conuenimus, cæterosq; in Religione Dissidentes, florentissimi huius Regni Incolas inuitauimus; externos quoque, si illis visum fuisset, pro subsidiarijs, non autem pro Moderatoribus, & Præsidibus ipsorum (quod quidem factum S. R. M. D. N. Clementiss: in literis ad suum Regium Theologum datis, velut suæ intentioni contrarium

rium ægerrimè tulit) eâ item conditione (quam eadem S.R.M. in alijs literis ad DD. Dissidentes datis exprimẽdo cauit) quatenùs genio Patriæ nostræ sese accommodarent, aduocari passi sumus: non vt ab illis, si quid per nos fortè erratum est in fide, disputando erudiremur: securi Fidem nostram Catholicam nulli prorsus errori obnoxiam: Sed vt Incolis Regni nostri, & Prouinciarum illi adiacentium, qui ab Ecclesia nostra Catholica, quam dicunt Romanam, desciuerunt, opportunum aliquod reconciliationis mediũ porrigeremus, depuratis Fidei nostræ dogmatibus, ab horridis ijs imputationibus, quibus malignitate nonnullorum conspersâ Religio nostra plures deterret: exemptis quoq; placidis modis, & tranquillâ disceptatione, si qui fortè de aliquibus eiusdem Fidei nostræ Articulis, scrupuli mẽtibus eorum hærerent. Finem hunc D. Collocutorem August: aliò diuertere ægrè admodum sustinemus.

Tandem si suspectum illius Symbolum à nobis æquâ ratione, (vt visum est) repudiatum fuit, inde nequaquam iusto prætextu ansam tantæ offensæ sumere debuit, multò minùs tanto conatu prætensam retundere: magis autẽ memorem esse oportebat, quâ lenitate & dissimulatione ea excepe rimus, quæ ipse acriùs, & contra Partem nostram Catholicam, & inprimis contra Amplissimum Regni Senatorem, & S. R. M. D. N. Clementissimi Legatũ Illustrissimũ D. Castellanum Gnesnen: declamauit, cùm præsumptionẽ, & præsumptam licentiam, mentem interpretandi Regiam per Theologum Regium, licentiosiùs ei obiecit: cùm clarã illius, Regiæ Instructionis interpretationem, ceu ineptam,

publicè ausus est censoriâ virgâ notare, illam Regiæ Instructionis Caliginem appellans: Cæteraq; ea libertate protulit, vt læsam Senatoriam dignitatem, imò & Regiam (cuius ille personam gerit) Maiestatem, aliâ profectò confutatione, suaq; præsumptione dignâ, oportuisset vindicare, nisi lex & conditio Charitatiui Colloquij, ac insignis Ill^mi D. Legati Regij animi moderatio, Aduenæ ignoranti, quo honore in hoc Regno dignitas Senatoria habeatur, condonandum censuisset.

At nunc ille tantam expertus benignitatem, nodum quærit in scyrpo, & in modesto satis responso meo, fingit se inuenire quod exagitet. Quoué suam amplius exageret offensam, læsum Ser: Electoris & Ducis Saxoniæ opponit honorem, suâ vindicandum opera. Ser: quidem Duci Saxoniæ, quemadmodum & alijs Principibus externis, probè scimus in hoc Regno, quantum, & in quo gradu sit deferendum: at sicut cum eis nihil pro nunc agendum habemus, ita nec ab illis ad ius vocari formidamus. Habeant illi sua nunc cum cæteris Principibus, quæ accōmodent ratione status negotia, mihi pauperi Religioso cum illis, vel ipsis mecum, haud æquum est certare.

Cæterùm non defuerunt multi ex Auditoribus qui Ser: Electorem & Ducem Saxoniæ per ipsum potiùs D. Collocutorem August: suum Subditum, quàm per me & in honore læsum, & malæ reputationi expositum fuisse censuerint. Cùm enim de quorundam Rebellione in Germania loquerer, nullamq; Ser: Electoris & Ducis Saxoniæ mentionem facerem, D. Collocutor August: inter illos ipsos Rebelles

Rebelles, minùs cautè ſuum Principem retulit, ipſumq; fuiſſe palàm prodidit: quod alioqui vel ignoraſſet Auditor, vel de alio quopiam ex plurimis illis, qui eodem Symbolo Rebellionis vſi erant, cogitaſſet. Adeoq; iudicio cuiuſuis prudentis, modernus Ser: Elector & Dux Saxoniæ, non à me, ſed à ſuo Subdito, de crimine Rebellionis contra CAROLVM V. diſertis verbis, ſed reuera falſis, (vt poſt videbitur & vindicabitur) traductus eſt.

Propter quod meritò fidelis quiſpiam alius eiuſdem Ser: Ducis Saxoniæ ſubditus, ſi præſens adeſſet, contra D. Collocutorem Auguſt: ſolemnem interpoſuiſſet Proteſtationem, quod Ser: ſui Ducis & Electoris nomen ac honorem, in tanta populi frequentia, ac in publico conſeſſu, graui expoſuit diſcrimini. Et vel ego ipſe in defectu alterius, eam contra illum pro Seren: Electore & Duce Saxoniæ, in ampliſsima formâ, ſolemniſsimam infero Proteſtationē, Actiſq; Publicis inſeri poſtulo.

Tantò magis quod iniquè admodum & falsò, eam quā dixi, contra CAROLVM V. Rebellionem (recentiora enim non ſcrutor) applicatam voluerit moderno Ser: Electori & Duci Saxoniæ, vel eius Maioribus. Non enim ille, vel ſui Maiores, contra CAROLVM V. in ea, cuius memini, occaſione fuere Rebelles, ſed potiùs Ioannes Fridericus Familiæ Vinarienſis: cuius quidem Rebellionis crimen, & Electoratu, & magnâ ſuarū Poſſeſsionum parte, illum ſpoliauit: ad Maiores verò moderni Ducis, & ad ipſum conſequenter Ducem modernum, & eandem dignitatem Septemuiralem, & eaſdem Poſſeſsiones tranſtulit. Adeoq; il-

lius Rebellio, huius (vt ſic loquar) occaſionaliter fuit exaltatio; illius calamitas, huius proſperitas; illius & facinoris & pœnæ, ignominia; huius in Succeſsione, & tituli & honoris gloria. Porrò eundem modernum Ser: Electorem & Ducem Saxoniæ (cuius ſcilicet D. Collocutor ſe ſubditum profitetur) cum illo altero Rebelli CAROLO V. confundere (quod nec dixi, nec quiſquam gnarus Hiſtoriæ, dicere, vel cogitare poterat, niſi iam fortè occaſione dictorum D. Collocutoris aliquid ſimile conceperit) eſt manifeſtè claritudinem illius non leui iniuria & falſitate obſcurare, ac honorem denigrare.

Arbitrum vel ipſum Ser: Electorem hac in cauſa non recuſarem, quò decerneret, à quonam magis læſus fuerit, num à me, qui nec Ducis, nec Ducatûs Saxoniæ, cùm de Rebellibus loquerer, vllam vel minimam mentionem fecerim? num à ſuo ſubdito, qui dum de Rebellibus agitur, vbi non deſunt alij, quibus veraciter crimen Rebellionis imputatum legitur & noſcitur, ille ſuum denotari Ducem, minùs prudenter & reuerenter indicauerit? Iterum proinde contra D. Collocutorem Auguſt: meo, totiuſq; Partis noſtræ Catholicæ nomine, pro Ser: Electore & Duce Saxoniæ, ſolemniſsimam inſtauro Proteſtationem, quòd ille falſum crimen Rebellionis ſuo impegerit Mecænati.

Quòd ſi D. Collocutor in eo putat factam moderno Ser: Electori & Duci Saxoniæ iniuriam, quòd ſuo Anteceſſori, eſto non ſuæ lineæ, notam Rebellionis inuſſerim, ineptè admodum noxam Prædeceſſorum, affixit Succeſſoribus. Quis enim pijſsimis modernis Imperatoribus Romanis in-

nis infame & ignominiosum fore censeat, quòd aliqui ex suis Prædecessoribus in Imperio Romano fuerint Nerones, Caligulæ, Domitiani, Diocletiani, cæteriq; Impij gentiles & crudeles Tyranni, quorum vtiq; moderni Imperatores non impietatem & crudelitatem (quod demum esset infame) amplectuntur, sed potiùs præclaras opponunt Virtutes Christianas? Simili modo Seren: Electori & Duci Saxoniæ non oberit sanè, quòd aliqui ex suis Antecessoribus fuerint Romanis Imperatoribus Rebelles, quamdiu ille in fide datâ ijsdem Imperatoribus, firmus & constans perstiterit.

Si demum D. Collocutor August: non tàm moderni Sereniss: Electoris & Ducis Saxoniæ, eiusq; Maiorũ, quàm prætextu illius suæ Gentis Saxonicæ causam agat, nec libenter de crimine Rebellionis contra CAROLVM V. illam accusari audiat, vel ea nota insigniri patiatur, litem immensam contra plurimos Historiographos mouet. Illos accuset, qui hoc perpetuis consignârunt monumentis: me verò interim excuset, quod in fide illorum in ea parte Germaniæ (à me quidem suppressa, ab ipso expressa) Rebellionem contra CAROLVM V. motam, ab ijs qui memoratum Symbolum vsurpârunt, recensuerim. Rebellionem planè apud Historiographos vocatam, bellum illud Smalcaldicũ, plurimorum ex nostris Scriptoribus Catholicis authoritate euincere possem: at quia fortaßis illi, D. Collocutori suspectæ fidei forent, vel vnius sui, adeoq; non suspecti, sed nec postremæ notæ apud suos Historiographi Sleydani testimonijs, hoc ipsum comprobabo. Quem Tom: 1. lib: 19. paulò post principium, inuenio referentem, qualiter Cæsar in lite-

in literis ad Ordines Mauritianos datis, teſtatur ſe ad reprimendã Ioannis Friderici Saxonis *audaciã atq; Rebellionem*, iter eſſe ingreſſum. Et non multò poſt rurſum : *Capto*, inquit, *Saxone Cæſar, Vitembergam petit, eoq; cum exercitu die 4. Maÿ peruenit: & triduo poſt, Ioannem Fridericum ob Rebellionem, vt ait, Capitis damnat.* Subiungit poſtmodum Saxonem conditionibus quibuſdam à Cæſare propoſitis, & acceptatis, *vitam redemiſſe.* Inter quas cõditiones illa quoque tunc erat, vt *dignitati Septemuirali, tàm ſuo quàm liberorum nomine renunciaret, & Cæſari vt pro ſuo ſtatuere arbitratu, permitteret.* En quomodo CAROLVS V. ob crimen Rebellionis primò Capitis damnat, deinde pœnam Capitalẽ condonans, Electorali dignitate Saxonem illum, eiuſque liberos priuat.

Sed *Defenſionem*, non *Rebellionem*, inquit Collocutor Auguſt: tunc Saxo meditabatur. Mihi ſufficit, dictum vt vindicem meum, bellum illud *Rebellionem*, non *Defenſionem* à pluribus Hiſtoriographis vocatam, & à Cæſare, teſte ipſo Sleydano, habitam, & vt talẽ mulctatam fuiſſe. Et certè bellum illud contra Imperatorem CAROLVM V. in fœdere Smalcaldico concluſum, non eſt dubium bellum fuiſſe Ciuile, ſiue inteſtinum, inter Dominum & Subditos; vel ergo ex parte Saxonis iuſtũ fuit bellum vel iniuſtum: Si iniuſtum, manifeſta fuit *Rebellio*; ſi iuſtum, Cæſaris prætexet *Tyrannidem.* At præſtat in fide tot Hiſtoriographorum, Saxonem vocare Rebellem, quàm temerè Cæſarem appellare Tyrannum.

Tanto magis quod & ipſe Lutherus, teſte Sleydano,

Lib: 8.

Lib: 8. non multò poſt principium, ſemper docuerit Magiſtratui non eſſe reſiſtendum: *Et extabat*, inquit, *eius de hac re libellus.* Imò aliquando dixerit, ne Turcis quidem bellũ inferendum defendendæ Religionis cauſa. Et in Epiſtola ad Ioannem Saxoniæ Principem ſcripta, quæ Tom: 6. Oper: Luther: Edit: Ien: fol:31. habetur, diſertè ait: *Secundum Scripturam nullo modo permiſſum eſſe, vt quiſquam qui Chriſtianus eſſe vult, Magiſtratui ſe opponat, ſiue is iuſtè agat, ſiue iniuſte, ſed Chriſtianus vim & iniuriam pati debet: præſertim à Magiſtratu.* Et fol: 32. *Quam diu*, inquit, *Cæſar manet Cæſar, nemo ei obedientiam negare debet, aut ei reſiſtere; Nam hæc eſſet Rebellio, & ſeditionis excitatio. Quamobrem iuris illud pronunciatum; Vim vi repellere licet: nihil huc confert: cùm non habeat locum aduerſus Magiſtratum.* Sic Lutherus, eos qui Magiſtratui, aut Cæſari, non modo iuſtè, ſed etiam iniuſtè agenti, vel ipſo quoque (vt inferiùs loquitur) *defenſionis Euangelij Titulo*, aut prætextu ſeſe opponerent, crimine *Rebellionis & Seditionis* notat, quamuis poſtmodum & ipſe, auctis viribus ſuorum, ac bellis alijs impedito Cæſare, ſententiam in Conuentu Vitembergenſi Anno Domini 1539. mutauerit. Et quam antea Sacræ Scripturæ locis firmauerat, illiſq; nixus docuerat, Chriſtianum hominem Subditũ ſuo Principi, etiam iniuſtè agenti, non poſſe ſalua conſciẽtia ſine nota & crimine Rebellionis, nec pro defenſione quidẽ Euangelij reſiſtere; iã contra Scripturas à ſe allegatas, (quas tamen vnicè ſe venerari iactabat) placitis & deliberationibus quorundam Iuriſperitorum, teſte ibidem Sleydano, ſubſcripſit, & conſcientiam ſubmiſit: imò ad opponendũ

sese in tali casu, non modo Turcæ, sed etiam ipsi quoque Christiano Principi, necessitauit; vbi alioqui ex scripturis tolerantiam seruādam monuit; Atq; ita Regulæ Iuriscōsultorum ignorātiam hactenus prætexens, (teste ibidem Sleydano) ei iam cognitæ libenter acquieuit, quam antea dum viribus cum suis esset debilior, minùs sibi commodam iudicauit: Euangelium scilicet legibus Politicis, & temporibus accommodans. Sed iuuat Lutherum, vt Theologum potiùs, quàm vt Iurisperitum suis opponere.

Hîc porrò addo: occasionem, quâ sumpserint arma Confessionistæ, contra Cæsarem, non aliam fuisse, vt constat ex Historijs (quātumuis conetur id speciosis eluere verbis Sleydanus citatus) quàm quòd Cæsar in Comitijs Augustanis Anno Domini 1530. ex consensu Catholicorum Principum, ac Statuum Imperij, Confessionem Protestantium iudicans pluribus erroribus refertam, publico decreto reprobauerit: Camera item Cæsarea Protestantes, vt ab iniqua, & fœderi Religionis apertè contraria, Monasteriorum & Ecclesiarum occupatione abstinerent, & iniustè occupata restituerent, adegerit. Hinc quippe Confessionistæ, præeunte Saxoniæ Duce, & incitantibus Prædicantibus, iā Augustæ auspicatum, Smalcaldiæ postmodum consumatū fædus, aduersus Cæsarem, aliosq; Principes Catholicos ineunt, ac temporis progressu, adiunctis sibi pluribus & Imperialibus Ciuitatibus, & externorum Regum auxilijs, pecunias, arma, milites colligunt. Et quod in subsidium Cæsari contra Turcam denegârunt, contra ipsum Cæsarem conuerterunt, eiq; bellum Ciuile intulerunt: Eo colore suam iustifi-

iustificantes causam, quod id aggrederentur pro defensione prætensæ Religionis suæ, cui vim iniustam à Cæsare inferri causabantur. At quis prætextum illum ad excusandā Rebellionem sufficere iuremeritò arbitretur, quod Cæsar noua pro tunc, nouiterq; exorta in Religione dissidia, cum graui Imperij detrimēto & perturbatione, pro officio Principis compescere, & vel saltim, ad futurum Concilium generale differre satageret? vrgeretq; quò Ecclesiæ ac Monasteria occupata, cæteraq; bona Ecclesiastica, Ecclesijs, alijsq; pijs locis, ab initio fundationis, pia fidelium liberalitate donata, iam autem erepta, legitimis rursum possessoribus restituerentur?

Deniq; si D. Collocutor illum olim Ducem & Electorē Saxoniæ, non acquiescit vocare Rebellem, suum Modernū necessariò non recognoscit verū Electorem; qui vtiq; non est legitimè in suis Maioribus Elector renunciatus; si Vinariensis, non est legitimè Electoratu priuatus. Legitimè verò non erit priuatus, si à Crimine Rebellionis fuerit iustificatus: cuius Titulo duntaxat ea dignitate fuit abdicatus. Sic D. Collocutor, dum in illum olim Ducem & Electorem Saxoniæ est nimium pius, in suum Modernum est grauiter iniurius.

Sed iam iuremeritò quispiam expostulauerit, & dixerit? Quis horum in hoc Theatro pacifici & Charitatiui Colloquij locus? Quid de bellicis Controuersijs, olim inter Ducem Saxoniæ, & CAROLVM V. hic opus erat intrudere? Quid de iure Ecclesiarum, & Monasteriorum, bonorumq; Ecclesiasticorum à Protestantibus occupatorum, discepta-

re? Num & ea quæ hîc ſum præfatus, & ea quæ in meo reſponſo ad ſermonem D. Collocutoris Auguſtani, ſpecialiter de illo Rebellium Symbolo, repoſui; non melius miſſa, quam hic tacta fuiſſent? Hæc paſsim pleriq; Auguſtanæ Confeſsionis homines loquuntur: & loquentur amplius. Fateor equidem, & cum illis hac in parte conuenio, nullum minus opportunum locum, quàm hunc, diſcurſibus huiuſcemodi, inueniri potuiſſe: multoq; ſatiùs eos omittendos fuiſſe. At Symbolum illud, quod omnium harum diſceptationum eſt origo, non ego ad hoc Theatrum accerſiui, ſed potiùs accerſitum propulſaui, illa cautela & moderamine, qua erat, vel poterat eſſe nobis Catholicis ſuſpectũ: Ea nihilominùs ſuſpicione non omittens (quantum in me erat) ipſum D. Collocutorem purgare, quò nullam prætenderet offenſam. Et quidem quâ ſuſpectum poterat eſſe Symbolum illud, nequaquam ad nos Catholicos inferendum erat: neq; inuectum ab homine extraneo, à circumſpectis diſsimulandum. Sed nec à D. Collocutore eius, qua talis, reiectio, tàm acerbè ferenda, tàm vehementer impugnanda erat. Quin potiùs ſic exploſum à nobis, ſimul & ipſum explodere decuerat, quò rebus peregrinis finem impoſuiſſet, ſeq; ab omni ſuſpicione expedijſſet.

Iam enim Symbolum hoc, nobis ſaltem Catholicis, potuiſſe eſſe ſuſpectum, euidenter Hiſtorijs & rationibus ſuprà deductum eſt: atq; adeò ea parte qua ſuſpectũ, merito ab hoc inclyto Regno: addo: à toto quoq; Chriſtiano Orbe, iuſſum eſt exulare. Aut ergò ſententiæ exilij proſcripti Symboli, qua ſuſpecti, ſubſcribit D. Collocutor, aut non ſubſcri-

ſubſcribit: ſi ſubſcribit, quid tanto cum ardore illi patrocinatur? Si non ſubſcribit, vel hoc ipſo ſuſpectum etiam ſe ipſum manifeſtè prodit; & iam opinari cogit, quod opinari nolui, ſe non modo ſuſpectum intuliſſe Symbolum, verum & illud quâ tale, ex Regno pelli & proſcribi, nequaquã ſuſtinere: fortaſsis etiam magis ac magis velle hîc ſtabilire. Nec deeſt qui deteriora ſuſpicetur: illum ſcilicet per ſimile Symbolũ, ſimiles olim Germanicis, in Regno Conſpirationes moliri: & eo Symbolo, velut tædas quaſdam ad excitandas belli ciuilis flammas, ſupponere.

At nimium D. Collocutor fallitur: neq; enim Gentis noſtræ ingenium ad Seditiones & Rebelliones putet tàm facilè propenſum. Illud potiùs perſuaſum habeat, Regni Incolas, eſto Religione diſsidẽtes, animis tamẽ ſic coniunctos ſibi inuicem, ſuoque Principi, vt promptiores ſint vitam cum ſanguine, pro ſuæ Patriæ, ſuiq; Regis incolumitate profundere, quam contra hunc, aut illam, Symbola bellica ſumere, armaq; vertere. Securus hîc Princeps, in ſinu amoris & Fidelitatis cuiuſq; ſui Subditi conquieſcit. Vanam proinde operam D. Collocutor non inſumat: Conſilia bellicoſa pro ſuis reſeruet; noſtræ verò Patriæ genio, vt Regijs requiritur literis, ſeſe accommodet; & Salui conductus ſecuritate non abutatur.

Sic itaq; illius Proteſtationis interuentu, & dandæ ſibi Satisfactionis expoſtulatione, atq; inſtantia, euocatus, in hanc deſcendi arenam: eòq; produxi longiorem Sermonẽ: Quò & Symbolum illud D. Collocutoris Auguſtani, Maiorumq; ſuorum ſuſpectum probaui, & importunè occaſio-

 ne hu-

ne huius Symboli, eiuſque propugnatione, illum nos aliò diuertere docui, & nullam legitimam offenſam potuiſſe prætendere monſtraui, & incompetenter officium Patrocinij pro Duce Saxoniæ, contra Ducem Saxoniæ ipſum ſuſcepiſſe oſtendi, & Rebellionem illorum (quicunque tandem illi erant) titulo defenſionis excuſari non poſſe, deduxi, & deniq; ad eam controuerſiam à noſtro inſtituto alienam, me ab illo neceſsitatum deſcendiſſe manifeſtaui: quæ omnia ſine adminiculo hiſtoriæ, & eorum quæ fuſiùs attuli, præſtare ſolidiùs nequiui.

Quam igitur à me requiſiuit D. Collocutor Auguſt: Satisfactionem, recipiat. In cuius exhibitione, maiori quidem qua potui efficacia, agendum cenſui: at intra debitos terminos Stylum cohibere curaui. Quod ſi fortaſsis Dño Collocutori, vel cuipiam alteri, vehementiùs viſus ſim egiſſe; cogitet me non priuatam (vt notum eſt) ſed publicam cauſam defendendam ſuſcepiſſe: cùm non meo priuato nomine, ſed nomine Partis Noſtræ Catholicæ, nec non Ill^mi D. Legati Regij locutus fuerim. Iniurias quæcunq; in me priuatum hominem (facto etiam Symbolo conſpirationis cum alijs) quiſpiam regeſſerit, non modo diſsimulauero, ſed etiam velut Margaritas lubens excepero, & peccatorum multitudinem in me commiſſorum, charitate operiam. At vbi publica Religionis cauſa agitur, omni qua æquum eſt conſtantia & zelo, quamuis impetitionem, imò & ipſam impetitionis legitimam ſuſpicionem propulſabo.

CAPVT IV.

Qua ratione Satisfactio iam in ordine ad Protocollum admiſſa, rurſum leuata fuerit.

POſteaquam igitur hoc modo cōcepta Satisfactio mea, ad Acta fuit præſentata, & vnanimi conſenſu admiſſa, eâ conditione (quam apponi DD. Deputati Diſsidentes vrgebant) quatenùs ſcilicet liceret Hulſemano reſpondere, & reſponſum ſuum Actis quoq; inſerere: tandem breui poſt Illmus D. Legatus, & DD. Deputati Partium, conſiderantes controuerſiam hanc magis ad priuatum & extraneum, quàm ad publicum & proprium, quod præ manibus erat, negotium ſpectare: attendentes inſuper, quod ſi Hulſemanus (vt illi permiſſum erat) reſponderet, mihiq; rurſum reſpondendi onus imponeret; ſicq; viciſsim vltrò citroq; reſponſis interminabilibus certaretur; fore futurum, vt exiguum quod reſtabat temporis ſpatium, cum diſpendio principalis negotij, hiſce acceſſorijs impenderetur: expetierunt, quatenus conſentirem, ne Satisfactio mea, licet iam admiſſa, Actis Protocolli inſereretur: ſummis conatibus hoc idem per intermedias Perſonas agēte Hulſemano.

Re itaq; maturo perpenſa conſilio, iudicaui hâc in parte nō repugnare poſtulatis, & rationibus Illuſtriſsimorum, & Perilluſtrium Dominorum, illorumq; Authoritati cedere. Arbitratus integritati cauſæ meæ ſatis conſultum fuiſſe, quod requiſitam & promiſſam Satisfactionem ad Acta exhibuerim, & quod illa exhibita, in ordine ad Protocollū

accepta-

acceptata & admiſſa fuerit: quod illa demum ſic acceptata & admiſſa, non me inuito (quod neq; ſaluo iure æquitatis fieri poterat) excluſa, ſed requiſito & beneuolè conſentiente, ex iuſtis potius ac rationabilibus cauſis, quam ob importunas Hulſemani inſtantias, non inſerta, imò per me ipſum vltro leuata fuerit: tantò magis quod integrum mihi remanebat, rem priuatim extra Acta Protocolli cum Hulſemano tranſigere. Ceſsi itaq; libenter hâc in parte, & cauſam publicam non grauatè priuato prætuli negotio: de quo (ne forte ambigas) ſic extat in Actis Protocolli: ſub eodem die 28. Octobris.

Dum hæc aguntur: ad Conſeſſum Illuſtrißimorum, & Perilluſtrium DD. Domini Legati, & DD. Deputatorum, & Vicedeputatorum, tum & Notariorum omnium Partium, obtulit R. Pater Hieronymus à Sancto Hyacintho, ſcripto Satisfactionem à Domino Hulſemano Collocutore Partis Auguſtanæ, in ſeßione publicâ die 3. Octobris requiſitam, & à ſe promiſſam. Quòd quidem Scriptum, etſi acceptatum, & Actis inſcribi, & inſeri permiſſum fuit: attamen re melius poſtea perpenſa, prædictis Illuſtrißimis & Perilluſtribus Dominis, viſum eſt differentiam illam ad principale negotium minùs ſpectantem, neq; hic decidendam, poſſe multum temporis exhaurire, cuius iam parum ſupereſt: Ideòq; à prædicto R. Patre requiſiuerūt, vt conſentiret ne illud Scriptum Protocollis inſereretur: non vrgente etiam ad præſens eandem Satisfactionem Domino Hulſemano. Interpoſitæ itaq; prædictorum Illuſtrißimorum & Perilluſtrium Dominorum Authoritati, nec non iuſtæ rationi illorum (pro modeſtia Religioſa) prædictus R. Pater deferens, facile his acquieuit. Hæc ibi.

Quod

Quod quidem eo consilio ex Actis Protocolli extraxi, & hic inserui (autentico exemplari penes me retento) ne fortè quispiam aliquas alias comminiscatur rationes, ob quas Satisfactio mea non extet in Actis Protocolli ad quæ oblata fuerat: quas omnes facili negotio refello, atq; vno ictu retundo, dum fidem Protocolli oppono.

CAPVT V.

Quantum Hulsemanus laborauit, ne Satisfactio esset Protocollo inserta.

IAm verò rebus sic circa publica Acta compositis & accõmodatis, libet tecum Hulsemane, quem in rei veritate Christiano prosequor affectu, & Christiano stylo compello, libet inquam tecum nonnihil familiariùs expostulare, quid causæ fuerit, cur (vt suprà memini) summis conatibus occurrebas, ne Satisfactio mea, alioqui à te requisita, publicâ Protestatione contra me interpositâ, Actis publicis Protocolli insereretur? Expectabam ego potius responsum ex tua parte promissum, quo de mea Satisfactione oblata, iudicium ferres, illamq; vel satisfecisse tibi indicares, vel defectus illius arguendo impugnares. Sed tu non modo dedignatus es respondere, sed nec Satisfactionẽ quidem oblatam dignatus es admittere. Grandis indignatio. Exploratum amplius voluimus animum tuum, & vel hoc humanitatis officium tibi obtulimus, vt si quid fortè in illa Satisfactione offensiuum, vel acerbiùs dictum, seu scriptum fuisset, notatum innueres: quodq; iustum & æquum videretur,

retur, moderatum fuiſſet, & ita demum Protocollis inſertum. At nec ſic quidem per tuos acquieuiſti. Interrogatus ſæpiùs per eoſdem, quid tandem in illa Satisfactione diſpliceret? diſplicere totum dixiſti: totum proinde tollendum fore, totum à Protocollo excludendum.

Hîc porrò occurrit mihi (ſimilitudine ex parte modi, non comparatione ex parte Perſonarum (abſit) vtendo) quod in Hiſtoria Paſsionis Chriſti Saluatoris noſtri legitur: Ductus erat Chriſtus ad Pilatum Præſidem. Præſes innocentem deprehenſum, liberum dimittere voluit. Non patitur populus Iudæorum, ſed inconditis vocibus clamat: *Tolle, tolle.* Aſſerit Præſes ſe non inuenire cauſam tollendi illum. Reſpondet Iudæus, nil in ſpeciali, ſed in generali duntaxat contra Chriſtum allegando: *Malefactor eſt*; Tollatur. Quærit Pilatus: *Quid enim mali fecit?* Non probat Iudæus, ſed vrget vociferando: Tollatur: non affert cauſas cur tollatur: hoc vnicum laborat, vt tollatur. Inſtat amplius pro liberatione Chriſti Pilatus: *Emendatum*, inquit, *dimittam.* Nec hoc quidem contentus Iudæus, ſed amplius voces eius inualeſcunt: Tollatur. Non diſsimilis hîc modus procedendi: Oblatum eſt ſcriptum Præſidibus publicæ pacis in hoc Colloquio: datur facultas, ad æquam poſtulationem (quemadmodum ſuprà ex Actis conſtat) illud Protocollo inſerendi. Non patitur Hulſemanus, ſed clamat: Tollatur ex Actis. Quæritur ab illo: Ecquid mali continet? Totum, inquit, male factum eſt. Vrgetur Hulſemanus. Emendatum ergo ſaltem admitte. Inualeſcunt voces Hulſemani: A vertice capitis ad plantam pedis malum

lum est. Totum tollatur. Et Pilatus quidem tanquam iniquus Iudex, adiudicauit fieri petitionem Iudæorum: at hîc nil tuæ, Hulsemane, profuissent voces, ad eradendam iam admissam ex Protocollo Satisfactionem, nisi illud, quod iam dixi, intercessisset: cuius beneficio, tibi gratulare, paruo tuo lucro, nullo meo damno.

CAPVT VI.

Quomodo Hulsemanus, ex contemptu Statûs Monachalis, ferebatur dedignari respondere ad Satisfactionem.

SEd cur non magis respôdere placuit, & refellere totum, si totum displicuit, quod tamen supprimere non licuit? Inuestigantibus nobis secretiùs, huius rei causam assecuti sumus, te quidem opus responsi suscepisse; (cuius etiam initium, à veteri quodam Prouerbio, scil: *Licentia deteriores fieri homines*; iam innotuerat nobis) sed iterum remisisse dicentem: *Quid mihi cum vno vili Monacho in certamen venire?* Sic fama ferebat: vera? an vt plerumque solet, falsa? parum moror. Esto non defuerint aliqui, qui dicerent; te hac speciosâ excusatione, euadere siue eludere voluisse necessitatem responsi, cùm nil solidum ad mea reponere occurreret. Nec abnuo, te de me, quà Religioso, ita sensisse, & talia dixisse. Nec de odio, si aliquod in me conceperis, queror; imò cum S. Hieronymo: *Gratias ago Deo meo, quod dignus sim, quem mundus oderit.* Porrò Epist. 99. sicut familiare & antiquum est vitium Hæreticorum, odisse

Monachos, & Monachorum inſtitutum contemptui habere, ita nec tibi ab ea conſuetudine viſum eſt recedere, quod vel hæreditario iure ſortitus videris à tuo Luthero, qui exoſam ſibi vitam Monaſticam pertæſus, ruptis Clauſtri & votorum ſacris, non à Monaſtico tantùm ſtatu, ſed etiam ab Eccleſia Catholica apoſtatauit: & eo poſtmodum odio & Stylo inſecutus eſt vitam Monaſticam, qualis decuit Apoſtatam, imò Hæreſiarcham.

Diſsimilis ſibi ſæpè Hæreſis in dogmatibus, at plerũq; ſimilis in vitijs: ſimillima ſemper in odio vitæ Monaſticæ, quam iunctis viribus, & armis ſemper oppugnat, & oppugnabat diuerſis ſæculis. Quod & S. Auguſtinus in Pſal: 132. de Donatiſtis, obſeruat. Ibi enim verba illa Pſalmi: *Ecce quam bonum & quam iucundum, habitare fratres in vnum*, perpendens, ad ſtatum Monaſticum applicat: cuius exemplum in primitiua Eccleſia præceſsiſſe docet, cuius & vota in eodem ſtatu obligantia diſertis exprimit verbis, quem deniq; ab Hæreticis non tam ob aliquos (quos etiam notat tunc fuiſſe) falſos Monachos, quàm ex alia cauſa impugnari aſſerit. Cùm enim inquiſiſſet, cur illi, ſcilicet Hæretici, inſultent Catholicis de Monachis? & introduxiſſet eos inquirentes, quòd & moderni noſtri Hæretici inquirunt, vbi in Scriptura inſtitutum Monachorum, vel ipſum nomen Monachi habeatur? *Quid dicunt*, inquit, *illi qui nobis de nomine Monachorum inſultant, qui nobis dicunt: oſtendite vbi ſcriptum ſit nomen Monachorum?* Tum demum poſtquam oſtendiſſet Monachum, dici à vocabulo Græco μόνος, quod ſignificat *vnus*: ſubiungit, & ex Scriptura Monachorum origi-

Monachus vnde dictus?

originem ſic deducit. *Qui ergò ſic viuunt vt vnum faciant hominem, vt ſit illis verè quod ſcriptum eſt: vna anima & vnum cor: multa corpora, ſed non multæ animæ: multa corpora, ſed non multa corda, rectè dicitur* μόνος*: id eſt, vnus ſolus.* Tandem concludit. *Meritò inſultant nomini vnitatis, qui ſe ab vnitate præciderunt. Meritò diſplicet illis nomen Monachorũ, quia illi nolunt habitare in vnum cum fratribus, ſed ſequentes Donatum* (ſiue Lutherum) *Chriſtum dimiſerunt.* Hæc S. Auguſtinus.

En Hulſemane cauſam originalem, vnde tibi, tuiſq; proueniat, quòd tam conuitiosè Monachos, natâ vel accerſitâ occaſione tractetis, quòd tanto contra illos odio ardeatis, quòd inſtitutum hoc tam acerbè impugnetis. Inimici eſtis vnitatis: ideò & inimici Monachorum. Meritò diſplicet vobis nomen & inſtitutum Monachorum, qui nolitis cum Fratribus Chriſtianis habitare in vnum: qui vos ab Eccleſia ſeparaſtis, cui vtiq; antea eiuſdem Fidei profeſsione, eorundem Sacramentorum Cõmunione coniuncti fuiſtis: ſed Lutherum ſequi magis quàm Chriſtum elegiſtis. Qui enim ſunt Chriſti, eius Sponſam Eccleſiam per Schiſmata non lacerant nec diſcerpunt: qui autem talia audent, longè ſunt à Chriſto. Ipſi vos probate, ipſi veſtras conſcientias inſpicite. Palam eſt toti orbi, non nos à vobis, ſed vos à nobis prodijſſe: vtinam autem nobiſcum permanſiſſetis, nec tantum ſcandalum in ſciſſurâ Eccleſiæ commiſiſſetis. Hoc porrò ab antiquo infallibile ſignum erat Hæreſis, quo S. Cyprianus Lib: 1. contra Parmenium, conuincit Hæreticos, cùm ait: *Conſtat illos à Chriſto & eius*

Hæretici cur Monachos oderint?

Hæreſis ſignum.

Euangelio separari: non enim nos ab illis, sed illi à nobis exierunt. Et S. Optatus contra Donat: Lib: 1. *Cæcilianus,* inquit, *non exiuit à Maiorino auo vestro, sed Maiorinus à Cæciliano. Nec Cæcilianus recessit à Cathedra Petri, vel Cypriani; sed Maiorinus, cuius tu Cathedram sedes, quæ ante ipsum Maiorinum originem non habebat.* Deniq; S. August: veram Ecclesiæ
Lib: 1. de Symbolo, c. 5. veræ notã hanc ponit: *Ipsa est Ecclesia Sancta, Ecclesia vna, Ecclesia vera, Ecclesia Catholica, contra omnes Hæreses pugnans: pugnare potest, expugnari tamen non potest: Hæreses omnes ex illa exierunt, tanquam sarmenta inutilia de vite præcisa: ipsa autem manet in radice sua: portæ inferorum non vincent eam.* Hæc verus ille alumnus Ecclesiæ.

Iam igitur non miror Hulsemane, quòd cum vili hoc Monacho nolueris certare calamo. Attamen *Conceptum sermonem tenere quis poterit?* Obtinebisnè illud à te, nullum vt responsum scripto Satisfactionis meæ reponas? Non tam facilè puto id tibi persuaseris: difficilè & ego crediderim. *Quos enim æstus passus es?* sicut quondã Petiliano scripsit S. August: l. 3. *quanta cordis tempestate fluctuasti;* cùm legisses ea quibus tuam contra me importunam & acrem Protestationem, de imputatione Rebellionis tuo Duci Saxoniæ, retuderam? Imaginabar te hactenus, Hulsemane,
Iob 32. velut alterum Eliu, talia in corde tuo agitantem: *Respondebo & ego partem meam, & ostendam scientiam meam. Plenus sum enim sermonibus, & coarctat me spiritus vteri mei. En venter meus quasi mustum absq; spiraculo, quod lagunculas nouas disrumpit. Loquar: & respirabo paululum. &c.* Quid tandem illud quod parturis? An fortassis licebit dicere:

Partu-

Parturiunt montes: nascetur ridiculus mus?

Quomodo ridiculus mus, qui natus est rodere? Ridiculum dixerim rodentem? Ridiculus plane mus. an quia dũ rodit panem, ridet saturatus, damnumq; faciens? an quia dũ rodit ferrum, ridetur, quòd rodendo damnum suis inferat dentibus? Sic profectò expectò à te responsum aliquod, adinstar quidem muris rodens: sed erit apud me ridiculus mus: non qui mihi damnum inferat, sed qui sibi dentes arterat. Ideoq; vel anticipatè scutum huius Apologiæ tuis eludendis dentibus, tuisq; elidendis iaculis oppono, atque à varijs siue voce-tenus obiectis, siue deinceps Scripto obijciendis Satisfactionem meam vindico; teq; præoccupo.

CAPVT VII.

Quæ contra Satisfactionem falsò obijcit Hulsemanus, contra libellos eius veraciter retorquentur: Et inprimis insignis eius immodestia à Luthero suo Magistro, contagione quadã in ipsum deriuata.

OMissis alijs futtilibus, vel iam antè occasionaliter solutis, vel facilè à quouis prudenti soluendis; duo potissimùm cõtra Scriptum Satisfactionis meæ, per tuos Mediatores vrgebas Thorunij (rem notam loquor, quoniam agebatur in præsentia Illustrissimorum, & Perillustrium DD. Legati Regij, & Deputatorum, ac Vicedeputatorum Partium) nimirum quòd & metas modestiæ Religiosæ excesserim, & offensiua pleraq; inseruerim. De vtroq; horum ratio plenior mihi reddenda.

Ac in-

Ac inprimis quidem sicut Cæcum, nemo sanus iudicem adhibet colorum, ita nec ego modestiæ Religiosæ Censorem, Instituti Monastici osorem facilè admisero. Attamen quia vel importunè te in officium Censoris ingeris, ostendas velim, in quo canones Modestiæ trāsgressus fuerim. Num fortaſsis talia, hisué similia, in meâ Satisfactione adfero, qualia tu plerumq; in tuis libellis fætidiusculè soles inserere, quæ rubor quidem prohibet, ne hìc transcribam, vrget tamen iusta ratio, tuam vt instantiam retundam: & tua Scripta, meo contraponens, iustificer vel ipsis ab iniusta tua imputatione. Dabit veniam Lector honestus, quod ea referam, quæ ab honestis ægrè leguntur, nedum scribuntur.

Quàm tibi frequens est, Hulsemane, illud sordidum tuū, quo nostros impetis, adagiū: *Contra solem mingere*: Sic (præter alia loca) in Manuali contra Hagerū, fol: 120. & f. 1251. In Animad: fol: 99. & paſsim aliâs. Siccinè tua Scripta digna non erant meliori conspergi liquore? Taliter à te irrigata, quid mirū quòd tam putridos deinceps flosculos producant? Quàm lasciuæ deinde sunt illæ tuæ similitudines, quibus non tàm rem explicare, quàm venereum ingenium impudicis verbis, criminationibusq; adiunctis, prodere videris? Quale est illud in eodem Manuali fol: 264. *Nunquid Monachus qui paulò ante intendit seruare votum castitatis, & nunc intendens stuprare Nonnam dicitur habere intentionem seruandi castitatem?* Et fol: 105. *Concludam verò similiter. Qui Monachus non credit se grauari vmbra Monialis quàm corpus præstat, is neq credit se grauari corpore Monialis, quod vmbram præstat.* Et fol: 935. eludens illam authoritatem, Iob 15.

Ad ali-

Ad aliquem Sanctorum conuertere: qua aliqui Catholici Doctores vtuntur, ad comprobandum dogma de Inuocatione Sanctorum; egregia ſanè, appoſita, & digna tuâ indole ſimilitudine explodis, dicens: *Si quis Monachus ex Breuiario diceret: Conuertere anima mea in requiem tuam. vel legeret ex Prouerbijs: Ad os ſuum eas conuertit. Nunquid ferret talem interpretem: Hic Monachus conuertit ſe ad vnam cellam Monialium: Eas, conuertet ad os ſuum?* Piget plures huiuſmodi fætores tuos (mitiora in tali crimine ſuggere vocabula) huc adducere. Tibi quidem tuiſque, talia, lepidæ videntur facetiæ: at cuiuis honeſtatis amico ſunt ſpurcitiæ. Ex abundantia cordis os loquitur Hulſemane: loquela tua te manifeſtum facit. Egregium ſanè Eccleſia Vitembergica habet (vt ſe vocauit) Eccleſiaſten: Purum puri Verbi Dei præconem.

Verè videris Magiſtri tui Lutheri, nō poſtremus diſcipul⁹ & Academiæ eiuſdē Lutheri, (vt ſcribis) Profeſſor. Te ipſius commenſalem dixiſſem, ſi coæuus fuiſſes. Saltem de fragmentis Colloquiorum Menſalium Lutheri, & de micis illis cadentibus ex menſa Magiſtri tui, velut catellum ipſius non dubito te haud pauca collegiſſe. Eſto enim talia ſint illa, vt pleriq; tuorum, tuq; ipſe alicubi, nolis ea pro fetu Lutheri agnoſcere: at negare non poteſtis primos Lutheri diſcipulos, ipſoſq; eius intimos familiares, & in ſiccandis calicibus ſtrenuos ſocios, in magna hæc, velut Oracula quædam, reputatione habuiſſe: adeò quod vnus ex illis, iſque Collector huiuſmodi Colloquiorum, Aurifaber vocatus, ſcribat: *Salua conſcientia & Religione, ſe non potuiſſe amplius* *Colloquia menſalia Lutheri.*

tantum Thesaurum Colloquiorum Mensalium celare, & veluti pretiosum talentum in sudario inuolutum abscondere, ne fortaßis se mortuo funditùs interirent. Quamobrem operam datam esse, vt quamprimum typis describerentur, descriptisq́; Ecclesia Lutherana salubriter tanquam micis de mensa Lutheri delapsis vteretur, famemq́; & sitim spiritualem hisce sedaret. Sed nec vllo modo ferri debere, vt talia Colloquia de rebus sublimibus digna quouis honore, & pretio, in tenebris tandem penitùs obliterentur. En quanti æstimata sunt illa Colloquia, quæ vndiq; Diabolis porcis, stercoribus, lasciuijs insulsis, & inhonestis prouerbijs, vel facetijs scatent, quæ non mensam Theologorum, sed scurrarum potiùs (nequid deterius dicam) decebant. Scilicet talis decebat vobis vt esset Propheta, Apostolus, Euangelista, iuxta Elogia quæ illi soletis attribuere. Talis decebat vt esset Ecclesiæ (quod præsumebat) Reformator, corruptorumq; morum corrector. Talis deniq; decebat vt esset vindex puri & casti eloquij DEI. O miseræ gentes, quas ille seduxit.

De hac itaque mensa Lutheri Hulsemane, eructas tu quoq; in tuis Opusculis, minùs digna viro honesto atq; modesto: Vt multò æquius tibi obiecerim summam immodestiã, quàm tu sine causa mihi opponas, cùm nil similium possis in meo Scripto designare. Cæterùm rem assumptam cõtra Aduersarium, citra omne indecorum verborum strenuè premere, (quod ego feci) nequaquam est modestiæ contrarium: oppositum potiùs ignauiæ symbolum.

1. Cor: 11. Accipe S. Bernardum *Lib: de Consider: ad Eugen:* qui locum illum Pauli expendens, vbi Apostolus cum quibusdam ex-

dam expoſtulat, quod libenter ſufferant inſipientes, & ſi quis extollatur, ſi quis in faciem cædat, &c. ne quis fortè putaret laudem hîc aliquam Corynthijs Apoſtolum deferre; vt eo exemplo, non dico priuatas iniurias, ſed publicas DEI & Eccleſiæ offenſas diſsimulet, quas præſertim ex officio compeſcere debet; ſic ſuum ſenſum mellifluus Doctor apponit: *Non laus hæc, ſed ſuggillatio erat quorundam manſuetudinis. Magna virtus patientiæ: ſed non hanc tibi optauerim. Interdum impatientem eſſe probabilius.* Scilicet, ſicut aliquando S. Bernardus inutilem agnoſcit manſuetudinem & patientiam: non quòd contra Regulam manſuetudinis aut patientiæ agendum quandoq; cenſeat, ſed quòd zelum potiùs pro tunc, & iram ſine peccato (*de qua Pſal:4.*) depromendam ſuadeat; eſto fortaſsis de impatientia ab aliquo arguatur: non ſecus in præſenti caſu tecum mihi contingit: modeſtiæ quidem non renuntio, ſed efficaciùs te confutare intendo. Modeſtia Religioſa bona & ſancta: ſed interdum cum Aduerſario Eccleſiæ, efficacia magis opportuna. Et ſicut demum ait S. Bernardus: *Interdum impatientem eſſe probabilius:* impatientem intellige negatiuè, non priuatiuè: ita & ego occurro tibi: Interdũ immodeſtum eſſe probabilius: immodeſtum intellige negatiuè, nõ priuatiuè.

Impatiẽtia aliquando probatur.

Adiungo pro meis vindicijs, inſigne Aphraatis Eremitæ exemplum. Hic aliquando cùm intellexiſſet Imperatorem turbas in Eccleſia excitare, relictâ quiete Eremi, prodijt ex ſolitudine in publicum. Factus verò obuiam illi Imperator, cœpit eum obiurgare, quòd contra Inſtitutũ Monaſticum vagaretur per Vrbem. Cui ille: *Dic mihi*, inquit,

Exemplũ Aphraatiu. in vitis PP. orient. lib: 9. c. 8.

 Impera-

Imperator, si essem virgo abscondita in cubiculo; vidissem autem aliquem in domum Patris ignem inijcientem, quid mihi consuluisses facere? intusnè sedere? & domum quæ comburitur despicere? an properare, aquam ferre, & susq; deq; currere, flammamq; extinguere? Quod si tu me reprehendis, quod quietem reliquerim; teipsum reprehende qui hanc flammam in domum Diuinam inieceris, at non me, qui conor extinguere.

Verto parabolam Hulsemane. Video te hominem ex turbulentis partibus, diuturnisq; bellis, occasione infaustæ hæresis, agitatis, hûc aduenisse: & Symbola rebellium Hæreticorum, excitamenta olim ciuilium bellorum (prætensam videlicet puri Verbi Dei defensionem) velut tædas accensas, in domum Paternam (Patriam nostram Catholicā intelligo) inijcientem. Si hæsito, sintnè tædæ accensæ? vel non? à quibus vtiq; metuendum foret aliquod periculum; confirmat me plurium aliorum opinio, confirmat & multiplex ratio: crescit vndiq; non leuis suspicio. Exclamo, periculum incendij vt auertam, præcaueo, præmoneo. Tu arguis, quod modestiæ Religiosæ limites transilio. Dico tibi Hulsemane, Virgo licet modestissima & ipsis modestiæ cancellis reclusa forem, nō tibi parcerem, quantumuis modestiæ & Religiositati meæ detraheres; sed magis ac magis clamarem, tuasq; tædas vel solo suspicionis oculo conspectas denuntiarem: non ad tuam infamiam, sed ad nostram cautelam. Heu nunquam hîc nimia cautela. Funesta bellorum incendia, quæ hæresis ista à suo mox initio Symbolicis hisce tedis succendit, latè debacchata, & nec dum extincta, idq; apud nostros vicinos, satis nos edocent, nil tutum ab illâ.

Contra Hæreticos nunquam nimia cautela.

ab illâ. Si tu pergis reprehendere quod contra modeſtiam delinquam: reſpondeo cum Aphraate: *Te ipſum reprehende, qui hanc flammam in domum Diuinam inieceris, non me, qui conor extinguere.*

C A P V T VIII.

Eiusdem Hulſemani inſolens Stylus contra omnes præcipuos Status Eccleſiæ Catholicæ: & inprimis contra Summum Pontificem, Chriſti Vicarium in terris,

SEd quid fruſtra laboro, me, ab imputata per te, vindicans immodeſtia: oſtende vbi, & in quo vocabulo immodeſtus fuerim? Quicquid offenſiui prætẽdis, omne illud & immodeſtum damnas. At quænam iſta quæ iure vocaueris offenſiua? Num conuicia? num contumelias? num verba petulantia, tuis ſæpè ſimilia, vel ſemel contra te protuli, vt iniuſtam offenſam cauſari poſſes? Potuiſſes ſanè ſi talia dixiſſem, qualia tu in tuis Scriptis, famoſis potiùs quàm Theologicis libellis, paſsim effutire non vereris, nulli ſublimiſsimo Catholicæ noſtræ Eccleſiæ Statui parcens: non Epiſcopis, non Cardinalibus, non Summo Pontifici & Vicario Chriſti, non quibuſuis alijs. In omnes hos quicquid conuiciorum præuales, quicquid acerbiſsimorum maledictorum, quicquid virulentiæ, tam liberaliter effundis & cõgeris, vt in hoc genere primas cæteris Sectarijs partes, quò præripias, geſtire videaris. *Nulli Statui Eccleſiaſtico parcit Hulſemanus.*

Antequam igitur à tua me purgem criminatione, oſtẽdam

dam prius, idq́; ad hominem, ex tuis ſcilicet libellis, quid meritò poſsit vocari offenſiuum? ſicut oſtendi ex ijſdē tuis, quid verè ſit immodeſtum? Pauca ex multis referam, quibus conſtet te conuiciandi impotentiſsimam ſemper habuiſſe libidinem, & nihilominùs tā delicatum fuiſſe, vt qui nulli peperceris Eccleſiaſtico Ordini, vel vmbram offenſæ, aut apprehenſionem eius ferre non valeas. Tum demum prætenſas à te offenſas meas, examinabo, & an rationem offenſæ iure illis poſsis opponere, diſcutiam.

Qualia tu Hulſemane, (inde enim exordiri libet) contra Summum in terris Eccleſiæ Principem, eſto vt talē non agnoſcas (quod tuum crimen non extenuat ſed exaggerat) in tuis Opuſculis protuliſti? In Manuali fol: 519. & ſæpè aliâs, inepto, ne dicam furioſo more tuorum, illum *Antichriſtum* appellas. Furioſo potius iam dixiſſem more: plus enim furijs & rabioſo odio, quàm ratione, nō modo Chriſtianum hominē, ſed & præcipuæ Chriſtianitatis, & Regū atq; Imperatorū Chriſtianorum Summū Præſulem & cōmunem Patrem, Chriſtiq; apud illos in terris Vicarium, vocabulo quo rabies hæretica deteriùs acerbiuſq́; excogitare non poterat, Antichriſtum vocare non erubeſcitis. Ergonè te Iudice omnes Reges ad Antichriſtum ſpectant, quotquot à primordijs Chriſtianæ Religionis, vnà cum ſuis Regnis, Romano Pontifici obedientiam detulerunt? detulerunt autem omnes, quotquot ab initio Chriſtianam Religionem amplexi ſunt: vt apud antiquiſsimos & probatiſſimos Hiſtoricos reperies. Sic habes de Lucio, primo Chriſtiano Anglorum Rege, circa Annum Chriſti 183. qui miſ-

Furiosè Hæretici Papā vocant Antichriſtū.

Papa cōmuni Pater Regū, præcipuè Chriſtianitatū.

Papæ cūcti Reges Chriſtianī ab initio obedientiā detulerunt.

qui misso ad Eleuterium Papam Legato, Pastores Spiritua- *Rex An-*
les postulauit, & Fugatium ac Damianum impetrauit: quo- *gliæ pri-*
rum auditâ prædicatione, Regum omnium primus Chri- *mus Re-*
stianus factus est, vnà cum suo Regno: videatur V. Bed: *gũ Chri-* *stianus.*
Tomo 1. Hist: Gent: Angl: c 4. Genebr: in Eleuterio. Sed & Tertulianus *L. contra Iudæos, cap: 7.* nationem Anglicam primam omnium asserit, Fidem Christianam professam fuisse. Eandem postmodùm extinctam, suscitauit, & restaurauit, paternâ curâ S. Gregorius Magnus, itidem Catholicæ Ecclesiæ Summus Pontifex. Similiter legis de Do- *Primus*
naldo Rege Scotiæ, qui primus circa Annũ D. 203. cum *Rex Chri-*
sua Familia & Regno, admissis Victoris Papæ Legatis, Sa- *stianus*
crum Baptisma, suscepit: ex Genebr: *L. 3. Chron.* & alijs. *Scotiæ.*
De Constantino M. primo ex Imperatoribus Romanis *Primus*
Christiano: qui à Beatis Apostolis Petro & Paulo in visu *Impera-*
ad S. Syluestrum Papam directus, ab eoque baptizatus est. *tor Chri-* *stianus.*
De Chlodoueo seu Ludouico Primo Galliarum Rege, qui *Primus*
primus ex illis Regibus, per S. Remigium Episcopum ba- *Galliarũ*
ptizatus, & miraculoso Chrysmate inunctus, Hormisdæ Pa- *Rex Chri-*
pæ obedientiam detulit, simul ac Christianæ Religioni no- *stianus.*
men dedit. Hoc contigit ad finem quinti sæculi: de quò fusiùs Chronistæ illius Gentis. De Recaredo Primo itidem *Primus*
Regum Hispaniæ Christiano: qui circa Annũ D. 585. Aria- *Christia-*
nismo abiecto, Christianam Fidem vnà cum Subditis am- *nus Rex* *Hispaniæ,*
plexus est, muneraq; ad S. Sedem Apostolicam misit. De quo ipse S. Gregorius M. *lib: 7. Epist: 126.* vbi etiam Filium vocat: & Sacras Reliquias, quas illi & S. Leandro Episcopo mittit, mirificè commendat. De Poloniæ Primo Re-

Primus Chriſtianus Rex Poloniæ.

mo Rege & Chriſtiano Boleſlao Chrobry: nato ex Primo itidem Duce Poloniæ Chriſtiano, Mieciſlao: qui Mieciſlaus poſt ſuſceptum Baptiſma Sacrum à B. Adalberto Epiſcopo Pragenſi, ex ordine Summi Pontificis in haſce partes directo, ſimul cum ſua Gente, in Chriſtianâ Religione eruditus & confirmatus erat. Et ille quidem Regium Diadema à Summo Pontifice Benedicto 7. poſtulauit, ob certas tamen rationes, ipſe pro tunc non obtinuit, ſed ſuo Filio hunc ceſsit honorem. Vide Genebr: in Sylu: 2. ex Cromero, & alijs, referentibus, qualiter ab eodẽ quoq; S. Adalberto, paulò ante S. Stephanus Rex Hungariæ cum ſua Gẽte, idem ſalutare beneficium recepit.

Secundũ Hulſem: omnes hi Reges, & eorũ Succeſſores, Antichriſtiani.

Hi igitur inquã omnes Monarchæ quotquot ab initio ſuſcepti Chriſtianiſmi, cũ ſuis poſtmodũ Succeſſoribus, obedientiã Summo Pontifici Romano detulerunt, & in Religione Chriſtianâ cum Sede Romanâ cõmunionẽ habuerunt, non Chriſto, ſed Antichriſto, ſecundum te Hulſemane, nomen dederunt. Cum ſuis inquam Succeſſoribus: nè fortè dicas, illos tunc Pontifices, quibus primi Reges obedientiã præſtiterunt, nondum fuiſſe Antichriſtos: quamuis nonnulli ex memoratis Pontificibus poſterioribus ſæculis, iam à vobis tales cenſeantur: Sed nec parum fuerit contra te, tuoſque, omnes illos primos Chriſtianos Reges, vnicũ Romanum Pontificem tanquam Caput Eccleſiæ recognouiſſe, ad eumque velut communem ſuum Patrem recurriſſe.

Præcipui orbis Chriſtiani Monarchæ, ſub obediẽtia Papæ.

Quid quod pręcipui Orbis Chriſtiani Monarchæ, Imperatores Romani, Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Poloniæ, vſq; modo in Romani Põtificis obediẽtia perſiſtũt. Quod etiam tuâ

ætate,

ætate, à prima suâ inauguratione FERDINANDVS Tertius Imperator Romanus: & VLADISLAVS Quartus Rex Poloniæ, solemnissimis Legationibus suis ad VRBANVM Octauum toti Orbi testati sunt. Saltem ergo omnes isti, tuâ sententiâ, Antichristi sunt asseclæ: aude amplius, audent enim & tui: *Bestiam adorant, & imaginem eius.* Hæc vel tu negas, vel asseris. Si negas: palinodiam cantas. Si asseris, primos prçcipuosq; Orbis Christiani Monarchas, & populos illorum, ingenti & intolerabili contumeliâ afficis.

Id porrò longè aliud erit, quàm dicere Ioannẽ Fridericũ arma Rebellionis contra Carolum V. sumpsisse. Ille enim si rebellis fuit, Imperatori Romano fuit rebellis: At hi omnes Monarchæ, ipsi Summo Monarcharum Monarchæ Christo rebelles per te asseruntur. Sic tibi totus ferè, saltem præcipuus Orbis Christianus, Sũmo Pontifici obedientiam deferens, Antichristianus est, (ô scelus) quia vtique Summus Pontifex, Antichristus est tibi.

Idem tibi (progredior ad vlteriora) tibi inquam conuitijs assueto, non minori crimine, est, & vocatur *Belial*, fol: 934. Idem in Animaduersione contra Bellarminũ f. 23. & fol: 172. *cum Moffti Turcico* tibi comparatus, *qui non magis in Sedem Petri, quàm Turcicum Archiflamen succedat: & ad quem quicquid accepit Petrus, pari iure pertineat, sicut ad Turcicum Mofti.* Sic placuit Summum Christianitatis Antistitem, sacrilegis conferre Paganis: miror quod etiam non prætuleris: iuxta illud celebre Symbolum vestrorum, in vexillis quondam præfixum: *Turcici potius quàm Papistæ.* Ita scilicet magnus ille Patriarcha vester, docuit vos, Turcas præfer- *Lutherani magis volunt esse Turcici, quã Papistæ, vt vocant.*

præferre, Christianis Principibus: de quo videatur Florimundus *de Origine Hæres: L. 3. cap: 10.*

Rursum fol: 173. dicis nos Vniuersalem Ecclesiam resoluere *in solos Papæ iuratos, vel in vnius Papæ saliuam: cuius insipientiæ citra discussionem credendum sit ab omnibus fidelibus:* quod & *extremam impudentiam* vocas. Et fol: 180. in eam licentiam tuam laxas linguam, vt dicas: *Quicquid sit de Petro Restim Iudæ potiùs quàm Petri priuilegia, si quæ sint, modernus Papa allegat.* Quòd si quispiam (mihi enim non est animus talibus tecum colludere) si quispiam alius inquam, tibi Minister Vitembergice, tali Anagrammate RESTIM ad RESTIM reponeret?

Excessiua Calumnia Hulsemani.

Nomine quem signas IN RESTIM *vade* MINISTER.

An non acriora tua meretur insolentia tanta? Et rursum in Manuali fol: 239. calumniaris *nullum sub sole tantum flagitium, quòd Romani Pontifices non perpetrauerint:* quorum *enormia contra decalogum delicta,* si recensere velis, *non domus sed nec fortè mundus ea vniuersim caperet.* Sic plurimorum Pontificum egregiam Sanctitatem, quorundam vitijs, obscurare, & excessiuâ ac impiâ exaggeratione obruere conaris.

Sed quanto odio imò furore omni ratione seposita in Sedē Apostolicā feraris, melius exprimere non potuisti, quā f. 1244. sic loquēs: *Si Romanus Pontifex iuberet vtramq; speciem sumere: esto maledictus qui ex iussu Pontificis sumeret.* In margine addis: *Fatuus sit qui restitutionem rei per Furtum ablatæ, Furis beneficium dixerit.* En hominem modestum, linguæ moderatæ, oris castigati, maledicendi artis ignarū, & consequenter excessuum similium idoneum censorem. Hæc ex multis contra Papam.

Odiū sine ratione Hulsemani.

CAPVT

CAPVT IX.

Eiusdem insolens Stylus contra Cardinales & Episcopos.

COntra Cardinales verò quæ non effutis? Maximè verò contra Robertum Bellarminũ, vilis pygmeus, contra robustissimũ Ecclesiæ bellatorem; musca contra Elephantem, præsumptuosè nimis insurgens, hoc inter alia contra ipsum excipis fol: 35. in Animadu: quod sit *Cardinalis.* Inde quicquid maximè odiosum poteras, contra illum regeris. Et fol: 201. *stupendam impudentiam* (ô specimen pudicitiæ) ipsi obijcis. Idem sæpè aliâs; plura quoque superaddens. In Manuali fol: 587. *ad seditionem* illum concitasse dicis, qui seditionem tibi potiori iure imputandam (vt infrà constabit) non sustines. Et fol: 998. *Camelum scabiosam* vocas. Et fol: 170. *summam scurrilitatem* viro tam seriò obijcis, qui nil simile vnquam tuis scurrilitatibus, suis inuexit Scriptis.

Planè quòd initiò Operum Bellarmini, ex Epistola Iacobi Gretseri, dicitur de Hunnio, qui cõtra eundem Bellarminum minus feliciter calamum strinxerat, vide annon congruè tibi possit aptari. *Genus scribendi ingressus fuerat Hunnius* (ita & Hulsemanus) *planè Lutheranum: hoc est Thrasonicum, iactabundum, furiosum, fermè dixerim Cereuisiarium. Nam vt Lutherus olim nonnisi potus ad arma prosiliebat dicenda: sic & hodie Lutherani præcones, ita disputationes suas instituunt, vt semper temetum & zythum, & quæ ex vtroq; nascuntur conuicia, maledicta, & vesaniam halare videantur.* Genus scribendi Hulsem.

Quanti æſtimãdus Status Epiſcoporũ. Iam verò quomodo tractas Epiſcopos, Eccleſiæ Prælatos, quorum ſemper & ab antiquo in Eccleſia magna veneratio erat. Quos S. Ambroſius *Libro de Dignitate Sacerdotum, cap: 2.* & S. Chryſoſt: *Homil: 4. de verb: Iſ:* tantum Regibus præfert, quantum *ſpiritus carni, cælum terræ, aurum plumbo præſtare dicitur:* tu verò luto commiſces omnem dignitatem illorum. Sic in Indice Animad: notas: *Ruditatem Epiſcoporum Papiſticorum:* quaſi in Eccleſia non plurimi ex Epiſcopis fuerint, & hactenus ſint, Viri eruditiſsimi: quorum inſignem doctrinam hucuſq; Chriſtianus Orbis miratur, & tuæ calumniæ obijcit. Quaſi & quorundam aliorum modica literatura deroget Ordini Epiſcopali; cùm Chriſtus Apoſtolos, quibus ſuccedunt Epiſcopi, idiotas elegerit: Lib: 10. Hiſt. c. 3. & in celeberrima illa Synodo Nicæna, teſte Ruffino, non adfuerint plures Epiſcopi ſimplices & indocti: ex quibus nihilominus S. Spiridion, per Spiritus Sancti præſentiam, Theologaſtros Hæreticos egregiè confudit & confutauit; multò efficacius quã plures literati & eruditiores feciſſent.

Quodſi in eo *Ruditatem* maximam noſtrorũ Epiſcoporũ taxas fol: 93. & fol: 128. quod linguæ Hebrææ & Græcæ peritiã nõ habeãt: Sanè Diuus Auguſt: erat tãtus Eccleſiæ Doctor, vt qui ex veſtris Hebraiſantibus & Græcaniſantibus vellet ſe illi cõparare, à toto impudẽtia eius exſibilaretur orbe: ille nihilominus ſcribẽs cõtra Petilianũ, palã fatetur, & dicit: Lib: 2 cõtra litt: Petil. c. 38. *Ego quidem Græcæ linguæ per parũ aſſecutus ſum, & propè nihil.* Nec plus in Hebræa lingua exercitatus fuiſſe noſcitur: Doctor igitur Eccleſiæ poteſt eſſe quiſpiam: licet Hebræam aut Græcam linguam non attrectauerit. Præterquã quod de ve-

de veſtris Rabbinis, & illorũ præſumpto Hebraiſmo, multa lepida intelleximus, quibus ſuam prætenſæ linguæ Hebrææ imperitiam, magnâ cum ſuâ confuſione prodiderunt.

Ibidem fol: 92. Chriſma ſacrum, antiquiſsimo à primis ſæculis vſu, vt cõſtat ex II. & III. Concilio Carthag: ab Epiſcopis confici ſolitum, à te, non niſi craſſa & pinguia quæque, ac lardum Germanicum meditanti, immodeſto vocabulo *ſeuum Papiſticum* appellatur.

Ibidem fol: 188. *Raſura, inquis, & rabies, pedum, ac epomis, non faciunt Epiſcopum.* Hoc oportebat adiungeres, ne quid Superattẽdentibus tuis, ob horum defectum, derogares. At *rabies* inter Epiſcoporum noſtrorum inſignia, tu videris, an ſine rabie connumeretur: Sit illa tuorum Superattendentium, non noſtrorum Epiſcoporum, Character.

Rursũ in Manuali fol: 1252. *Epiſcoporum quotuſquiſq;*, inquis, *abſq; concubina viuit.* Calumniam obſcæno tuo dignã ingenio exaraſti. Qui plurimorum Epiſcoporum noſtrorũ honeſtam conuerſationem nôrunt, ingentem hâc in parte inſolentiam tuam non modo admirabuntur, ſed etiã abominabuntur. Qualiter quæſo acciperes, ſi quiſpiã noſtrûm dixiſſet: Quotuſquiſq; Miniſtrorum Lutheranorum, qui nõ ſit adulter? velletq; multò plures Miniſtros numerare adulteros, quam tu poſsis Epiſcopos deſignare concubinarios? Et tamen quid tui Miniſtri comparatione ad Epiſcopos noſtros? Quid Epiſcoporum noſtrorum dignitas, ad veſtrorum Miniſtrorum gradum à laicis nil diſtinctum; ne aliud interim dicam?

Calumnia ingens Hulſemani, contra Epiſcopos.

Sed & quis neſciat longè maiorem noſtrum Clerum

continentiæ habere æstimationem, quam vos Ministros? neq; talem profiteri, qualem vos præfertis, libertatē Euangelicam; at strictioribus ligatam legibus? nec tātam deniq; rei venereæ necessitatem agnoscere, quātam agnouit impudicus ille Magister vester Lutherus (puto vos pariter cum illo, tanquam fidi discipuli eius) qui in sermone quodam de Matrimonio, non erubuit hæc scribere. *Quam non est in meis viribus situm, vt vir sim, tam non est mei iuris vt absq; muliere sim. Rursum: vt in tua manu non est vt fœmina non sis, sic nec in te est vt absq; viro degas. Non enim libera est electio, aut consilium, sed res est necessaria, vt marem fœminæ, fœminam mari sociari oporteat: verbum enim hoc quòd Deus ait: Crescite & multiplicamini: est præceptum diuinum: puta opus quod non est nostrarum virium, vel vt impediatur, vel vt omittatur; sed tam est necessarium, quam edere, bibere, purgare aluum, mucum emungere, dormire, & vigilare.* Hæc magnus ille quinti Euangelij Præco: præter alia indigna Christiano, quæ possunt videri *Tomo quinto, suorum Operum*; nostrique Cleri honestatem vindicare.

Quis sensus Lutheri de continentia?

Sanè vel hoc vnicum dogma probrosum, quod in Schola Lutheri adeò inualuit, (licet iam nonnulli huius Sectæ, sui pertęsi opprobrij, illud extenuent) sufficeret ad alienādos à suo Magistro magis cordatos quosq; ac honesti amantes discipulos. Rem quæ nostris contigit temporibus in Germania notatu dignam, & præsenti instituto opportunam referam: Libet enim occasione insolentis huius Calumniæ, paulò fusius sermonē protēdere, quò magis illa suos maculare Authores cōprobetur. Quidam ex Sacro Ordine

Capu-

Capucinorum, nobilissimam, pariter honestissimam quandam Matronam, Sectæ Lutheranæ, conuenit, atq; ad suam domum pedes iter agens diuertit. Exceptus priuilegio Euãgelicæ Paupertatis non inhumaniter, licet homo alienæ Religionis fuerit. Cùmque Matrona illa quæstiones varias (quod illius Sectæ Mulieribus familiarissimum est) de Religione cum prædicto Capucino moueret: nec tamen responsis eius acquiesceret: post longos tandem discursus, res ad Ministrum per Mulierem fuit reuocata. Consensit Capucinus, vt doctiorem quem putaret Ministrum, certo aliquo die aduocaret; cum quo præsente ipsâ de rebus Religionis disceptaret: eâ conditione, vt si fortè illum euidenter, vel ipsiusmet Matronæ iudicio, confutaret, dimitteret illa suam Sectam, atq; ad Catholicam Ecclesiam, quàm vocant Romanam, transiret. Acceptauit Matrona conditionem, spopondit constanter, & bonâ fide futurum promisit. Die condictâ venit vocatus Minister; adfuit & Capucinus: qui etiam primò aggressus Ministrum, quæsiuit ab illo, num posibilè sit hominem Christianum in continentia carnis vitam suam transigere? & præceptum illud de non Concupiscendo, in cælibatu adimplere? Negauit animosè vxoratus Minister. Quærit ab illo vlterius Capucinus. Quo tandem temporis spatio posit communiter Vir à Muliere, & Mulier à Viro continere? Designauit ille aliquem ad summum Mensem. Auscultat & perpendit attentè inchoatum discursum Matrona: Erat autem illa ab aliquot annis, defuncto Marito, Vidua, fuitq; illi domi Filia nubilis, sed adhuc innupta.

Exemplũ Notabile.

At Ca-

At Capucinus non vltra telã diſputationis protendens; ſed habito altero illo Miniſtri, ad ſua interrogata reſponſo, conuerſus ad illam Matronam, alioqui (vt dixi) honeſtã: En, inquit, qualem in ſectâ Lutheranâ fidem ſeu Religionẽ profiteris: ex cuius principijs de tua, tuæq; filiæ honeſtate, non licet cuiquã tuorũ bene ſentire; imò neceſſe eſt male ſuſpicari, Si quidem, vt ex ore tui Miniſtri palàm audiſti, tanto tempore, quo tu vidua, tuaq; filia pubertatis annos exceſsit, à viris continere non potuiſtis. Erubuit illa: Sectæ, quæ ſuam honeſtatem probatiſsimam in dubiũ vocat, imò innocenter damnat, agnouit prudens errorem; agnitumq; vltro abiecit, ſeq; Catholicæ Eccleſiæ lubens addixit.

Diceres hîc forſan Hulſemane, dono continentiæ munitos, poſſe continere. At vanum eſt effugium tuum, ſiue præſentem caſum ſpectemus, ſiue principalem quæſtionem verſemus. Nam quod præſentem caſum attinet, maculã inhoneſtatis, tuis nõ abſtuliſti. Quis enim nouit ex vobis illos priuilegiatos dono cõtinẽtię, alioqui per vos rariſsimos? quis ſtipulatur pro illis? vbi aliâs premit dogma generaliter neceſsitans. Cùm itaque non conſtet de dono conceſſo, omnes neceſſe eſt per regulas generales, ſuſpectos habeas.

Apud Lutheranos, ex proprio dogmate, omnes ſuſpecti de cõtinẽtia.

Quod verò principalem attinet quæſtionem, quæ inter nos & vos agitatur: ſentimus quidem cũ Sapiẽtia, *cap: 8.* neminem poſſe eſſe continentem, *niſi Deus dederit*: ſimul nihilominùs attendimus Eccleſiaſticũ monentẽ, cap: 15. *Ne dixeris: Per Deum abeſt.* Et damnamus cum Salomone, iuxta verſ: 70. inſipientiam hominis, *quæ vaſtat vias ſuas, Deum autem accuſat in corde ſuo.* Aſſerimus porrò, tam prouidè ab

Defectus noſtri nõ ſunt imputandi Deo.

Prou: 19.

Optimo

Optimo Deo, auxilia ſufficientia ad vitandum malum ſubminiſtrari, vt neutiquam poſsit conqueri homo de Deo, quod ſibi defuerit. Eſto itaq; non poſsit eſſe aliquis c ontinens, niſi Deus dederit: nulli tamen hominum datum hoc optimum, à Deo denegatur, nulli hominum auxilium ſufficiens ſubtrahitur, quo & tentationi reſiſtere, & peccatum cauere, & tranſgreſsionem Diuini præcepti euitare, & ſic deniq; continere valeat: Niſi fortè impia & blaſphema contra Deum hæreſis placeat, quæ prouidentiæ Diuinæ derogat, quaſi ſufficientia auxilia & congrua media ad ſalutem non conferat; eſto non omnibus (ex abyſſalibus ſuis iudicijs) in ea abundantia & liberalitate quâ aliquibus: nulli tamen minùs quàm ſufficiat. Nec obſtat quod non omnes contineant, quia non omnes collatum donum quòd ſufficiat, & oblatum quod efficiat acceptant: ſed pleriq; rebelles ſunt lumini, & durâ ceruice Spiritui Sancto reſiſtunt. Sed hæc aliò ſpectant: occaſione duntaxat relati exempli adductâ, quod non modicum iuuat ad confutandum laſciuũ dogma Lutheranum: ſecundum quod, ſi in praxi homines huius Sectæ degunt, multo plures quàm inter noſtros ſub ſeueriori lege degentes, de honeſtate periclitantur: & iniquè nos ſuo peſsimo metiuntur dogmate, quod magis ipſorum honeſtatem, nomenq; & opinionem proſtituit.

Nulli à Deo denegantur auxilia ſufficientia.

Non grauabor pro coronide impudentem retundendo calumniam, inſignem cuiuſdam (de nomine & authoritate parũ moror, vim rationis & diſcurſus illius magis æſtimo) erronei huius dogmatis Lutherani confutationem adducere: quo ſalacitatis macula, quam Antiſtitibus noſtris licen-

Dogma L[illegible]r: de impoſſib: continentiæ egregiè [illegible].

tiosè Hulſemanus affingit, ſuæ Sectæ hominibus longè magis appareat impreſſa. Falſa, inquit ille, Hæreticorum, de impoſsibilitate continentiæ carnis, doctrina: quia ipſum DEVM D. N. arguit iniuſtitiæ: cùm ille ſtrictiſsimè mandet fornicationem & immunditiam carnis, *ne quidem nominari inter Chriſtianos*; ipſi impoſsibilem eſſe continentiam doceant. S. Paulus Apoſtolus damnat opera carnis dicẽs: *Quoniam qui talia agunt, Regnum Dei non poßidebunt.* Idẽ (vt alios Eccleſiæ Doctores præterea) ſuadet, & præfert nuptijs virginitatẽ. Hoc ſcitis, Carnis Mancipia, Hæretici. Aut ergo falſũ docetis, aut Chriſtus D. N. iniuſtè impoſsibilia requirit: & Apoſtolus ſtultè virginitatẽ impoſsibilẽ laudat & ſuadet. Hæc dura ſunt, & Eccleſiæ iudicanda, relinquo. Ego quia impurâ doctrinâ Remp: Chriſtianam commaculatis, politicè vobiſcum agam. Et primò candidè quæro: ſi impoſſibilis eſt carnis continentia, quomodo dum vnus coniugum diutius infirmatur, alter ab adulterio cauebit? quomodo maritus in negotijs, in legationibus, vel foris bello occupatus, de honeſtate vxoris ſecurus erit, quam *religiosè incontinentem credit?* Quomodo filias veſtras vt virgines, poſt nubiles annos deſponſatis, ſi impoſsibilis eſt continentia? Quare leges pænales adulteris ſtatuitis, cùm adulteria vobis neceſſaria ſint? Quomodo facultates & bona veſtra, iuſtè in hæredes ſuos transferuntur, quando mora vel abſentia, vagam libidinem neceſſariam æſtimat? ſi vos vxores & filias veſtras incontinentiam docetis, illæ, ne in Religionem delinquant, corpora turpiter proſtituent, quomodo inter vos nobilis, aut honeſta Matrona, aut filia nominari poteſt?

ri poteſt? Secundò quæro. Cùm impoſsibilis ſit carnis continentia, an omnes ſitis adulteri, fornicatores, immundi? ſi non: dicite quid in diuturnâ coniugis infirmitate, vel abſentia agitis? ſi continentes vos prædicatis, quare impoſsibilitatem continentiæ docetis? ſi thorum violatis, quare adulterij famam, iniuriam reputatis? Attendite quàm grauiter per impuram hanc doctrinam in Deum, in Rempublicam, in vos ipſos, in coniuges, & proles, in honeſtatem morum, & puritatem Chriſtianæ vitæ delinquatis. Et ſi omnino carnis imperio paretis, ſaltem à tam peruerſa doctrina abſtinete. Hæc ille.

En quo dogma veſtrum, Lutherani homines, vergit qui ſurculi ex illa praui dogmatis radice prodeunt, dum peccatum originale ſecundum propriam rationem peccati, in ipſis quoq; renatis, Concupiſcentiam eſſe aſſeritis? & ſuper hoc ruinoſo fundamento immenſam molem errorũ, & peruerſorum dogmatum veſtrorum conſtruitis: inter quæ potiſsimum illud dogma: quò ſicut impoſsibile eſt hominem in vita præſenti eſſe abſq; concupiſcentia carnis, ita impoſsibile eum à peccato cõcupiſcentiæ abſtinere, impoſsibile continere, impoſsibile præceptum Dei, concupiſcentiam carnis prohibens, implere, adſtruitis. Hinc quippè longè rationabiliùs & æquiùs cuilibet licuerit iudicare, vos ad honeſtatem, tanquam impoſsibilem apprehenſam, nequaquam contendere; quàm liceat vobis iudicare, aut traducere nos de incõtinentiâ: quam Dei adiutorio (quod cunctis præſto eſt) ſuperatu cenſemus poſsibilem.

Radix multorum errorum error, cõcupiſcentiam peccatũ originale propriè aſſerere.

CAPVT X.

Eiusdem inʃolens Stylus contra Religioʃos, & Scriptores Catholicos, ac totam in vniuerʃum Eccleʃiam Catholicam.

SEd pergamus ad vlteriora, videamus quid de viris Religioſis, eorumq́; ſtatu loquaris. Eos vtiq; ſcopum veluti præcipuum omnium conuiciorum tibi præfixiſti. In Animad: *fol: 37.* quaſi ſummum crimen, inter alia, Bellarmino obijcis ratione *Ordinis*, vt vocas *Irreligioſi. Ieſuita eſt*, inquis, *vnus ex ijs qui vocationem ſuam à ſpectro habent, qui miſſi ſunt ad Antichriſtum reuelandum; vt gloriantur: naturale huius Ordinis odium in Catholicos* (intellige Acatholicos Lutheranos) *artificium æquiuocandi, negandi, inficiandi, deniq; altum ſupercilium.* Quæ non deinceps ſparſim in tuis libellis horrenda crimina illis imponis, ex ijs, qui non magis quàm tu fide digni, illa comprobans. In Manuali f. 235. vocas: *Cadmeos.* fol: 552. falſiſsimò illis imponis, cùm ais: *Ieſuitarum Regula nil minùs quam pretioſas veſtes ac pecunias reijcit: atq; in vniuerſum is cultus corporalis ordo illis ſtatuitur, qualis in Regum aulis non poſsit eſſe magis opiparus.* Et fol: 485. eoſdem vocas *Nebulones.*

Quomodo Hulſem: PP. Socie: ſtylo ſuo perſequitur.

Nec minùs indignè alios quoq; tractas Religioſos. In Animad: fol: 115. *ſtolidam Monachorum Barbariem nominas.* In Manuali fol: 387. ſic eos traducis. *Idem eſt acſi dicerem: Monachus eſt qui vouet caſtitatem, paupertatem, obedientiam: isq; eſt qui partim continet, partim fornicatur, partim obedit, partim re-*

Quomodo alios Religioſos.

tim recalcitrat, partim indiget, partim luxu diffluit. Et fol: 630. *Diuinas laudes, studium pietatis per Ideam tantum in Monachatu* esse asseris. Et fol: 553. obedientiam eorum *cæcum asininum stuporem* vocas. Et 1242. per conuicium ais: *Nec editur Christi Corpus, ad eum modum quo Monachi farcimina ingerunt.* Hæc sunt tuæ modestiæ & humanitatis erga viros Religiosos, statumq; illorum, magni semper in Ecclesia & ab antiquis Patribus habitum, specimina.

Iam verò Scriptores quoq; nostros, viros eruditos, quomodo laceras? Omitto quæ in Bellarminum conuicia iactas in tuo libello Animaduerſ: è quibus iam nonnulla tetigi. Omitto specialia, quæ de Hagero in Manuali sæpiùs dicis: quis enim omnia enumeret? Quomodo Rybadeneyram fol: 622. *impurum canem* vocasti? Quomodo *hebetudinem: impudentiam, mendacia,* familiariùs est tibi obijcere quàm probare? Celebris explicatio Pauli de Episcopo *vnius vxoris viro:* tibi fol: 977. *impudens, stupida, bruta.* Scilicet facilius sic refutantur legitimæ Scripturę expositiones, quàm profundiori inuestigatione. Promptiùs quoque & expeditiùs soluuntur argumenta, vulgari illo tuo responso, *Mentitur:* quale profectò verbũ honoratioribus te, obijcere non licebat. Tandem & illorum vitio sæpiùs inuolui deprehenderis, qui cùm destituuntur neruo rationum, substituunt aculeos conuiciorũ. Hoc tibi contra nostros maximum robur. Ibi te potissimùm triumphare putas, vbi pluribus scommatibus, sarcasmis, conuicijs, decertasti. Non parum tibi, iam confutasse, videris, cùm probrosè ponis, *Papista dicit.* quo nullum ignobilius in tua opinione vo-

Quomodo Scriptores Catholicos tractat.

ne vocabulum, ad maius contra nos odium & contẽptum exprimendũ, arbitraris. Quid enim tibi *Papista*, nisi quod fol: 127. Animaduers: indicas, & ex dogmatibus nostris dicis te colligere: *Pseudocatholicus & Antichristus?* Eo scilicet iure nos *Pseudocatholicos*, quo tuos vocas *Catholicos*. O tenuem Catholicismum vestrum, & pondere leuem, & numero breuem. Pondere quidem leuem; nam præter vacuum titulum, more ordinario aliorum Hæreticorum, ad instar simiarum, frustra & iniquè vsurpatum, nil minus in reliquo, quàm de Catholicismo habetis. Numero verò breuem: quotidie nimirum decrescentem, euanescentem, & ad Caluinismum longè latiùs, magno cum vestro dolore & inuidia propagatum, deficientem. Rem orbi notam nimis, loquor.

Quid apud Hulsem: Papista.

Qualis apud Lutheranos Catholicismus.

Quã multi à Lutheranis deficiunt ad Caluinistas.

Quam item familiare tibi ijsdem nostris Scriptoribus *crimen falsi* obijcere falsò. Specialis est locus præ innumeris alijs ibidem in Animad: fol: 104. vbi de Bellarmino loquens: *Commisit*, ais, *Iesuita falsi crimen quando Hieronymi verba citat, acsi loqueretur absolutè de dubitatione circa amorem an odium Dei: cùm loquatur expreßè de dubitatione tempore afflictionis: quod tunc ignoretur, odione Dei ob peccata, an amantis probatione affligamur?* Quasi Bellarminus hæc S. Hieronymi verba, ideò non adiecerit, ne per illa, suæ causæ præiudicaret, prout tu non rationibus, sed ineptis similitudinibus, imò potiùs leuitatibus puerilibus deducis: & non potiùs breuitati studens id omiserit, quò magis suam firmasset sententiam. Si enim vel tunc quandò homo maximum amoris Diuini indiciũ, & iustitiæ suæ argumentum

Quã falsò crimen falsi nostris obijcit Hulsemanus.

experitur, scilicet tempore tribulationis: dicente Scriptura: *Multæ tribulationes iustorum.* Et alia Scriptura: *Quia acceptus eras Deo, necesse fuit vt tentatio probaret te.* Et iterum: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit.* Si igitur inquam, tunc quando vel maxima signa habet homo amoris Dei, & suæ iustitiæ, nescit, ex mẽte S. Hieronymi, vtrum amore an odio dignus sit? quantò minùs extra hæc signa, hoc ipsum sciet? Non ergò mala fide, vt ais, nec crimine falsi, illa sunt à Bellarmino omissa; quæ illi magis fauere, quam obesse cernis; si cernere velis, & non potiùs criminari.

Psal: 33. *Tob: 12.* *Hebr: 12.*

Porrò multò plura tibi ipsi Crimina falsi obijci posśint, quæ non tam facilè dilues. Hæc non ex professo inuestigans, sed casuali curiositate ductus, vel in vna exigua facie paginæ in tuo Manuali fol: 1010. bina deprehẽdi. Ibi enim tibi Bellarminus *conculcat Hieronymum.* Quomodo? quia *lib: 3. de Ecclesia milit: cap: 16. ad 5. hæc Bellarminus ait: Hieronymus in cap: 9. Danielis. Hilarius, Hyppolithus atq; Apollinarius, sine dubio decepti sunt.* Sine dubio Hulsemane deceptus es, vel decipis. Totum enim contrarium habet Bellarminus: qui sic ait. *Etsi Hilarius can: 25. in Matth: & Hyppolithus atq; Apollinarius, apud Hieronymum in cap: 9. Daniel, &c. sine dubio decepti sunt.* Moxq; S. Hieronymum pro alia sententia quam sustinet allegat: En quam enorme crimen falsi apertè commisisti? Quam diuersum enim est. *Hieronymus hoc dicens deceptus est:* quod tu affigis falsò Bellarmino, & inde eum asseris *conculcasse Hieronymum:* ab eo quod dicit Bellarminus. *Apollinarius cum alijs, apud Hieronymum*

Quomodo ipse Hulsem: frequenter crimẽ falsi committit.

mum hoc dicit,& deceptus eſt? tanto magis cùm eundẽ Hieronymum Bellarminus mox in contrarium pro ſua allegat ſententia.

Rurſum ibidem dicis *Bellarminum pronuntiare Auguſtini ſententiam falſam*, eò quod dicat dimiſsionem vxoris etiam propter alias cauſas quam fornicationem poſſe fieri. Cùm tamen Bellarminus, falſum quidem dicat, matrimonium ob quodlibet crimen poſſe dirimi: non autem dicat falſam Auguſtini ſententiam, ſed ipſum Auguſtinum, *ex lib: 1. Retract: c. 19.* adducat, nolentem nos prædictam ſuam ſententiam abſolutè ſequi. Hoc autem nec dum eſt adhuc *conculcare Auguſtinum*, vt Bellarmino imponis.

Rurſum in Animaduerſ: fol: 6. aſſeris, *Conci: Trid: Seſſ: 7. Can: 8. docere*, quod *Sacramenta conferant gratiam ſine actuali bono motu vtentis.* Cùm tamen nec in illo loco, nec alibi vnquam, ſimilia loquatur Concilium. Docet quidem Sacramenta *ex opere operato conferre gratiam*, *nec ſolam fidem Diuinæ promiſsionis ad gratiam conſequendam ſufficere:* Quod nequaquam eſt in Doctrina Catholica, actualem bonũ motum vtentis, vel actum fidei excludere, ſed potius cum actu fidei, alios præterea actus requirere. Notiſsimum eſt enim in ſententia Catholicorum, ſic Sacramenta ex opere operato conferre gratiam in adultis, (de his enim nobis ſermo) quod ſi illa ſint Sacramenta, quæ primã iuſtificationis gratiam conferunt, neceſſariò prærequirantur diſpoſitiones, id eſt, actus quidam hominis, de quibus ſatis clarè & fusè agit idem Concilium, *Seſſ: 6. cap: 5. & 6. & Can: 4.* Si verò ſint illa Sacramenta quæ augmentum gratiæ conferunt, ad illud

Quomodo in ſacramentis opus operatum non excludit opus operantis.

ad illud augmentum, ipsum quoq; hominem suis actibus, & *ex opere operantis* (vt vocant) meritoriè concurrere. Quod totum vsq; adeò notum est, vt etiam à Confessione Augustana prauè detorqueatur contra nos, *quasi asseramus hominem suis operibus mereri gratiam iustificationis.* Vel ergo tu Hulsemane intelligis nostram sententiã, quam impugnas, vel non intelligis. Si non intelligis, quid impugnas quod nescis? si intelligis, cur eam aliter traducis? Primum arguit stultitiam, alterum nequitiam. Elige quod malis: neutrum tibi affigere velim. Hæc eo fine duntaxat attuli, quo monstrarem te magis obnoxium crimini falsi, quam Authores nostros, quibus id sæpiùs falsò imponis.

Tandem vt semel finem imponam recensendis tuis, contra nos conuicijs & criminationibus, vnum adhuc adducam locum, vbi quam maximè petulantem calamum tuum laxasti, cùm in Manuali fol: 224. hæc scripsisti: *Iesuitarum interest, vt numerum suæ Ecclesiæ, & manifestò sceleratis, & occultè infidelibus augeant: quo numero nos si pondere non possunt, vincant: & ex eiusmodi Nebulonum stabulo Catholicam Ecclesiam comminiscantur: ad quam pertineant omnes ij, qui saltem publicè Papatui non contradixerunt: quid de cætero credant? quomodo viuant? nihil refert:* quòd tibi Coquus quidam Edoardus fabula mendacissima confirmat. Ergò tibi Ecclesia nostra Catholica ab his velut potioribus, denominatur *stabulum Nebulonum?* ô penna digna pœna. Vereor ne hic dum modestus esse volo, socors meritò iudicer, si non condigna tibi, tuæq; licentiositati reposuero. Hic ferè locum habet illud S. Bernardi: *Interdum impatientem esse pro-* *Calumnia ingens Hulsemani contra totam Ecclesiã catholicam.*

babilius. Peccatores quidem, etiam maximos, ab Eccleſia non excludimus: At Eccleſiam noſtram Catholicam, non ideò *ſtabulum Nebulonum* comminiſcimur, ſed tu inſolentiùs inde comminiſceris. Sic tibi noſtra Catholica Eccleſia, homo licentioſe nimis, (vt ab acriori temperem verbo) *ſtabulum Nebulonum* nominanda erat? quæ non modo ex ſtatu Eccleſiaſtico, ſed etiam ex ſtatu politico, primas & præcipuas dignitate totius Chriſtianitatis Perſonas, continet, tot Principes, tot Reges, tot ſucceſsiuè Imperatores? Sic non ſolum iam Proceres Eccleſiæ, ſed etiam Principes totius Chriſtianitatis, infami calamo tuo perſtrinxiſti? ſic poſuiſti os tuum in cœlo, & lingua tua pertranſijt terram? ſi autem vel modicum per me vapulas, querelis de iniuria totum aërem imples, qui tuis conuicijs, & ſolutiſsima bile omnem dignitatem ſuo ſpoliaſti honore.

CAPVT XI.

Quomodo immerito ſe læſum in Satisfactione cauſatur Hulſemanus, & aliquos inſuper ex Diſsidentibus præſentibus.

SEd ad noſtra reuertamur. Multum immoratus ſum in recenſendis, & ſimul refellendis (neq; enim aliter fas erat recenſere, niſi ſimul refellere liceret) conuiciòſis tuis maledictis, quibus cuiuſuis ſtatûs, & dignitatis Catholicæ noſtræ Eccleſiæ viros impetiſti: nunc iam, prout ante promiſi, prætenſas à te offenſas meas expendam. Quænam autem illæ? & quem petunt? Cauſaris læſum teipſum, læſos eos qui te ad

Expenduntur offenſæ, quas prætendit Hulſemanus.

te ad hoc Colloquium aduocârunt: læſum Sereniſſ: Ducem Saxoniæ: læſam deniq; totam domum Saxonicam. Cernis me nihil diſsimulare? Ad ſingula eodē ordine ſatisfacio.

Læſum imprimis dicis teipſum in mea Satisfactione, & offenſum grauiter. At vnde? Num aliquo conuicioſo verbo, vel ſimili pluribus ijs, quæ ex tuis Scriptis iam allegaui, tuam Perſonam perſtrinxi? Nil tale, quantumuis ſcrupuloſiſsimè ſcruteris, reperies quod obijcias. Non ego te Aſinum, non canem impurum, non ſcabioſum, non nebulonem, non Antichriſtum, non ſtupidum, non impudentem, non mendacem, non alijs epithetis, vel potius conuicijs affeci, quibus tu noſtros, eoſq; longè & incomparabiliter digniores, onerasti: neruoſis tantùm diſcurſibus, te, tuamq; licentioſitatem conſtrinxeram. Hoc totum crimen offenſæ. Velim autem reuoces tibi, quanta erat illa offenſa ex parte tua, quando contra me acerbam & calumnioſam in publico conſeſſu inſtituiſti Proteſtationem: & crimē falſi in frequentia tanta hominum iniquè obiceciſti: quaſi Sereniſsimum Electorem Saxoniæ (cuius nec mentionē quidem vllam fecerim) Primum Imperij Ducem & Vicariū, & de Republica non tam male meritum, Rebellem contra Carolum V. falsò appellauerim. Quo nimirum acerbiora quæq; tuorum, meorumq; pariter odia contra me exacueres: tuorum quidem ex eo quod rebellionis notam illis inuſſerim; meorum verò, quòd diſsidiorū ſemina inter Principes iecerim. In hunc ſcopum aculeata tua collimabat Proteſtatio. Sic quàm maximam confuſionem mihi inducere conatus es, eò duntaxat, quòd tuo, tuorumq; Symbolo ap-

Hulſemanum conuicioſum.

lo applauſum non fecerim; ſed illud velut ſuſpectum, debita cautela excluſerim: dixerimq; illa verba: *Meminimus nos aliquando legiſſe, quoſdam contra Carolum V. Rebelles, hoc Symbolo vſos fuiſſe.* Sic fortaſsis non licuit per te, nos, abſq; piaculo hæc legiſſe? Non licuit eorum quæ legimus meminiſſe? Non licuit, quæ legimus & meminimus, ad cautelam noſtram aduocaſſe? Non licuit deniq; poſtulatam Satisfactionem, abſq; offenſa porrigere? Apage Hulſemane: duram hanc & ſeruilem legem, tuis, ſi & ipſi ferant, Saxonibus, non nobis, impone. Dum noſtra defendimus, te non offendimus: dum tua retundimus, non te inuadimus.

At inquis, *Seditioſum* te in mea Satisfactione vocaui, nouumq; *Rebellionum* in Regno excitatorem feci. Tenè ego Authorem *Seditionum*, vel excitatorem *Rebellionum* feci, aut vocaui in mea Satisfactione? Reuoco me, & quemlibet Lectorem, ad Scriptum Satisfactionis meæ. Bene vtique perpendenti verba Satisfactionis meæ, nec ſiniſtrè illa detorquenti, manifeſte apparebit, te non tàm rebellionis, vel ſeditionis authorem, quàm parum cautum aut prudentem per me notatum fuiſſe, eò quòd in huiuſmodi ſuſpiciones te ipſe vltro conijceres, cùm Symbola ſuſpecta rebellium, non modo ad nos inferre, ſed etiam importunâ Proteſtatione tuâ, inuecta defendere, & defenſa ſtabilire velle viſus fuiſti. Hoc erat quò non ego te in ſuſpicionem vocaui, ſed tu ipſe minùs prudenter ſuſpicionibus eiuſmodi te expoſuiſti.

Dilemma. Tali enim contra te dilemmate egi. *Aut ſententiæ exilij proſcripti Symboli, quà ſuſpecti, ſubſcribit D. Collocutor, aut non*

ſubſcri-

subscribit: si subscribit, quid tanto cum ardore illi patrocinatur? si non subscribit, vel hoc ipso suspectum etiam seipsum manifestè prodit: & iam opinari cogit quod opinari nolui, se non modo suspectum intulisse Symbolum, verum & illud qua tale, ex Regno pelli & proscribi nequaquam sustinere. Nec deest qui deteriora suspicetur, illum scilicet per simile Symbolum, similes olim Germanicis in Regno conspirationes moliri: & eo Symbolo velut tædas quasdam ad excitandas belli Ciuilis flammas supponere. Cernis Hulsemane, non me tibi obijcere tædarum huiusmodi suppositionem, sed paruam tuam prudentiam & circumspe-ctionem, qua sicut me coëgisti opinari, te suspectum Symbolum è Regno pelli & proscribi, non sustinere, ita & aliquos alios compulisti, deteriora illa de te, non quidem asserere, sed suspicari.

Et quidem si obiecero cuipiam, quòd probare nequiuero, offensam vocari, non repugnabo. At si obiecero alicui quòd probare potuero (vbi præsertim res id exposcat) nescio quâ ratione offensam vocare posit, nisi fortè talem quâ ipsa veritas (vt vulgò contingit) offendit, & odium parit. Iam verò onus probandi omnia quæ de te dixi, vel vltro ipse assumo. Sed ijs præcisè quæ dixi, te insistere velim, nec vltra tuam extendere offensam. Quod dixi, non quod non dixi, probandum mihi incumbit, vt offensæ notā euadam. Porrò sicut longè diuersum est, obijcere alicui facinus, ab eo quod est referre, quid alij de illo dicant vel sentiant: ita longè diuersū quoq; est obijcere alicui suspicionē de facto, & obijcere factum ipsum. Ad hoc enim comprobādum, quod dixerim: non defuisse aliquos talia de te locu-

Quid ad suspicionem, & eius probationē, sufficit.

tos: non eſt opus quòd deducam, te talem eſſe: ſed ſufficit eos vt producam, qui de te talia ſunt locuti: nec enim vltra id quod obieci, amplius obligor. Ad probandam ſimiliter ſuſpicionem, demonſtrationes vtiq; minimè ſunt neceſſariæ: non enim talibus (vt conſtat his qui naturam ſuſpicionis nôrunt) nititur ſuſpicio, ſed certitudo.

Sicut ergo non tibi obieci, quòd excites turbas vel ſeditiones in Regno, ita nec hoc probare ſum obligatus: Obieci autem non deeſſe, qui ſuſpicentur talia de te. Eos porrò qui huius fuerint ſuſpicionis, facilè plures quàm velles producam. Satis ſit ex noſtro Collegio Catholico vix quēquam fuiſſe, qui non ſuſpicaretur. Quo verò iure aut ratione talia ſuſpicati fuerint, illorum deinceps, non meum eſſet, probare. Nihilominùs vel iam in illis ipſis verbis meis ſuprà allatis, ſufficienter ſuſpicionem, eiuſque fundamentum, probaui, cùm dixi & deduxi, ſuſpectum te Symbolum huc intuliſſe, & illatum propugnaſſe. An enim non ſufficit vel ſaltem ſuſpicari talia de homine, qui Symbolum rebelliū, in noſtra (quicquid ſit interim de ſua) opinione ex Hiſtoricis probatis nata, ad nos non modo inuehit, ſed etiam propugnat? Dic quæſo, Hulſemane, ſi fortè aliquando (ſicut vir conſilij bellici) fuiſſes in caſtris, & illic comparuiſſet quiſpiam, qui de teſſera requiſitus, teſſeram quam nudius tertius in Caſtris hoſtilibus deſtinatam fuiſſe conſtaret, pronuntiâſſet: vel certè ſigna hoſtilia in medio tuorum Caſtrorum explicâſſet: aut denique Symbolum aduerſi exercitus liberè & gloriosè inter tuos proclamâſſet, non meritò ſuſpectum haberes, eumq; in tuis caſtris aliquid moliri, vel

Vnde ſuſpectus Hulſemanus cum ſuo Symbolo.

ſuſpican-

ſuſpicandi ſaltem, ius tibi aſſumeres ? Sic vbi tu cum Symbolo Maiorum tuorum, legitimè nobis ſuſpecto, iactas te velle triumphare, vbi ſigna (in noſtrâ opinione) Rebellium expandis, vbi teſſeram hoſtium noſtræ Religionis pronuntias, vel ſaltem ſuſpicari permittas, quod ſuſpicari cogis: Nec ſuſpicionẽ eam tibi putes iniurioſam, quæ non eſt à nobis accerſita, ſed à te ingeſta.

Acceſsit amplius ad eam ſuſpicionem roborandam, quia non ſolùm (vt paulò poſt initium meæ Satisfactionis indicaui, & nuper inſinuaui) intelleximus te hominem eſſe à bellicis conſilijs, verùmetiam in fronte tui Manualis præfixam vidimus dedicationem Libelli, Adulpho Guſtauo, nobis quidem iniquo inuaſori Imperij, tibi verò *Apoſtolicæ Fidei vindici.* Cuius tu in tua dedicatoria, *multa & magna in vniuerſam Chriſtianam Rempubl: merita agnoſcis:* cui ex parte Electoratus Saxonici nomina varia obligationis recenſes, ſcilicet victoriam tribus retro Hebdomadis *ab hoſte perfido* (Tillium, cæteroſq; Cæſareos Officiales, *rei Papiſticæ propugnacula*, in margine notans) *potitam*, *libertatem Catholicam*, (dixiſſes potius & veriùs Acatholicã) *quã hactenus gaudet, fidei Profeßionem, vitam deniq; & fortunas ſuas.* Qui ſic inuaſorem Imperij, omniumq;, Cæſari Rebellium, vnicum pro tunc Aſylum, obuijs vlnis excipis, iniuriam adhuc tibi fieri cauſaberis, quod vel ſaltem ſuſpicemur ſiniſtrè de te, tali nobis occaſione per te porrectâ.

Vnde ſuſpicio aucta.

Omitto alia, ſed ab alijs non puto omittenda. Illud duntaxat adiungo quàm prudenter, vel ipſe prudentiſsimus REX noſter & Dominus Clementiſsimus, hæc omnia præuidebat,

uidebat, & de longè præſuſpicabatur, cùm in literis ſuis ad Diſsidentes datis Varſauiæ die 1. Decembris, 1644. ad poſtulatum illorum, quo, externos vt euocare ſibi liceret ad hoc Colloquium, requirebant, conniuēdo quidem indulſit; ita tamen præcauendo reſpondit: *Quamuis autem nobis placeat magis, domeſticam quietem per Subditos noſtros potißimum tractare, ne euocatâ Exterorum induſtria, quæ iam lites grauiſſimas alibi ſuſtinet, tranquillitati noſtræ aliquid detrimenti afferat: vt tamen præſenti negotio omnem opportunitatem prouideamus, aliquos aliunde euocari poſſe, benignè annuimus. Volent illi dubio procul, quamuis longis regionum ſuarum dißidijs innutriti, pares vobis, noſtræq; paci animos aſſumere: & omnem ſententiarum diſſenſionem, Regni noſtri genio temperare.* Votis, an præſagio Regio potiùs correſponderis Hulſemane, altiori Regio iudicio relinquo.

Cautela Sereniſſimi Regis, de admittendis externis Miniſtris.

Cauſaris item, me obieciſſe tibi, tam in Reſpōſo, quàm in Satisfactione mea, inſolens verbum (quod dum negas, reuocas) contra Ill^mum^ Legatum, quo *licentioſam præſumptionem, Regiam mentem, per Regium Theologum interpretandi*, taxaſti. Gaudeo te indignitatem dictionis tuæ agnoſcere, & reuocando corrigere: & in tantum de illa erubeſcere, vt nec in Actis quidē notā illius volueris extitiſſe. At fruſtra circa hoc laboraſti. Exceptū fuit in primo tuo Sermone à tribus iuratis Notarijs, vno Ill^mi^ Dñi Legati, & duobus noſtræ Partis Catholicæ. Exceptum fuit in altero Sermone, ab iiſdem tribus, & duobus inſuper Partis Reformatorum Notarijs. Exceptum tandem auribus totius pro tunc præſentis Auditorij; Ab ipſo deniq; Illmo D. Legato in Sermone pu-

Conuincitur de eo, quod negat Hulſemanus.

ne publico, de eadem dictione grauiter contra te expostulatum. Tandem in publicando Protocollo, in altero saltem Sermone tuo, procul dubio extabit. Quod autem in hoc altero Sermone, illoq; præmeditato, non eras veritus Illmo D. Legato opponere, probabile erit omnibus, & si connotatum non legerint, id quoq; tibi in priori extemporaneo Sermone facile excidisse. Ne verò dicat aliquis, tuque imprimis, me temerè, ac malâ fide imputâsse tibi, quòd in vtroque Sermone insolens illud (vt dixi) verbum protuleris, eò quòd in Protocollo in lucem edendo, in altero tantũ, & non in priore Sermone reperietur: testimonium authenticum (cui opus fuerit producendum) curaui habere ab Illmo & Rnd^mo D. Episcopo Samogitiæ, Collegij Theologorum Catholicorum Præside, & duobus Notarijs iuratis eiusdem Collegij, (tertius enim iam discesserat) quo fides adstruitur hæc verba, in vtroq; Sermone tuo, ab omnibus tribus Partis nostræ Catholicæ Notarijs, in suis Protocollis, nondum tunc, cùm tibi responderem, collationatis, consignata fuisse. Tenor huius testimonij sic habet.

Fidem facimus, quòd in omnibus tribus Protocollis nostris Catholicis, & apud Notarium Regium, & apud duos Notarios Partis Catholicæ extabat, in vtroq; Sermone Hulsemani Collocutoris Augustani de die 25. Sept: & die 26. Sept: obiectio præsumptionis circa Interpretationẽ Instructionis Regiæ, nomine Illustriss: D. Legati Regij factam. In primo quidem Sermone, his verbis: Perceperunt Augustanæ Confeßionis Professores eam siue repetitionem, siue præsumptam Interpretationem Instructionis Regiæ, &c. In altero verò Sermone his verbis: Sibiq; soli licentiam, & iudicium inter- *Testimonium de conuicio ab Hulsemano prolato.*

um interpretandi in tantum præſumere, &c. Sed quia in quatuor alijs Protocollis Notariorũ, Partis ſcilicet Auguſtanæ & Reformatæ, in priori Sermone Hulſemani omiſſa erant illa verba, ortam inde controuerſiam Illuſtriſſ: D. Legatus decidit, in priori Sermone Hulſemani, non ponenda eſſe in Protocollis collationatis illa eadem verba eius: non quia non ſint dicta ab illo, ſed quia non à pluribus Notarijs erant conſignata in Protocollis. Idq; inſiſtendo priori ſuæ deciſioni, antea ex alia occaſione factæ: quatenus illud tantum in collationatis Protocollis poneretur, quod concorditer omnes Notarij Partium, vel ſaltem maior Pars illorum haberet connotatum. Thorunij die 22. Sept: Anno D. 1645.

Adamus Kos, Canonicus Kielcen: S. R. M. Secretarius, eiuſdemq; S. R. M. in Colloquio Thorunienſi Notarius.

Fridericus Meibohm, Parochus Elbing: Colloquij Thorunienſ: Notarius.

Ego Georgius Tyſzkiewic, Epiſcopus Samogitiæ, & Præſidens Theologorum Catholicorum, fidem facio, Inſtrumentum hoc Notariorum Partis noſtræ Catholicæ, in Colloquio Thorunienſi, verum eſſe & legitimum.

Cauſaris ampliùs me tibi obieciſſe, quòd ſecuritate ſalui conductus abutereris. Monuiſſe me potius ne abutereris, quàm obieciſſe quòd abutereris, textus Satisfactionis meæ oſtendit. Si verò noſſe velis, quàm non ſine cauſa hac de re te monuerim, experiare licet; & quæ in hoc Colloquio egiſti, fac extra Colloquium in quocunq; alio congreſſu per Regnum. Prædica illud celebre Symbolum tuum: Obijce præſumptam licentiam, non dico Senatori cuipiam, ſed vel vni ſcholari, dum modo nôrit quis ſis: excita moleſtas illas,

illas, quas plerumq; de lana caprina mouebas, contentiones, progressum Colloquij impediendo. Fac age hæc, vel his similia, & dubitarem sanè, si forte pellem integram Vitembergam reportares. Tunc liceret intelligere, quantum te iuuit datus ad hoc Colloquium Saluus conductus, quamque iure monuerim, ne securitate eius, talibus abutereris.

Te igitur offensum à me immeritò lamentaris, cùm te ipse in omnes hasce angustias cōieceris, Symbolo suspecto, suspectum teipsum feceris. Licentioso verbo, modoq; agēdi, iustam reprehensionem, & de non abutendo Saluo conductu, admonitionem promerueris. Cùm sis ergo tuæ Faber fortunæ, tuorumq; (vt probaui) author ipse malorum, si quid proinde offensæ prætendis, ex te, non ex me, illam capis: tibi, non mihi, illam imputes.

Multò minùs offensam ad alios (quod ést alterum meæ purgationis caput) extendere potes: quorum nimirū opera ad hoc Colloquium eras aduocatus; prout & ipsi (tuâ credibile suggestione) ad seipsos deriuabant, quod te videbatur petere. Familiare quippe tibi, proprijs deficientibus armis, Principum & Potentum sæculi odia trahere, contra Religiosas & Ecclesiasticas Personas, quibus cum controuertis: & quos stylo tuo conficere non vales, potentiæ sæcularis subsidio opprimere gestis. Sic in tuo Manuali fol: 391. contra Bellarminum inuehens: *Non leuem*, inquis, *iniuriam Serenissimo Galliarum Regi, & Reipubl: Venetæ, Bellarminus intulit, cauillatus, si quæreretur; quo nomine Galliam, Rempubl: Venetam, obtinent? non posse de iure Diuino respondere.* Sic & ante Ducis tui inuidiam contra me deuoluere voluisti. Sic

Hulsem: odia Principū, contra Personas Catholicas, conciliat.

& hîc aliquorum Diſsidentium ex Nobilitate, animos contra me exacerbare tentaſti. Quibus tamen videndum erat cui magis ſuccenſerent, mihi qui te dixerim, an tibi qui te feceris, ſuſpectum ?

Te quidem aliquibus ſuſpectum fuiſſe dixi, quaſi tædas, ad excitandas belli ciuilis flammas, ſeditioſo quorundam Rebellium Symbolo, ſupponere volueris : Arguebant illi : Tædæ huiuſmodi non ſupponuntur niſi alicui. Ergo ſi ille ſupponit, nobis qui eum huc vocauimus, & fouemus, ſupponere intelligitur : qui tamen nihil minus quam huiuſmodi flammas concipimus. Tædas quidem alicui ſemper ſupponi non inficior ; at omnia illa quibus tædæ ſupponuntur flammam concipere, hîc porrò inficior. Si tædæ ſupponantur ſtramini, aut ſarmentis, ſtramen & ſarmenta, ex ſuppoſitis tædis accenſis, flammam concipiunt : ſi verò tædæ accenſæ columnis ſupponantur Marmoreis, derident illæ tædas ſuppoſitas. Non ego incolas Regni ſtramini aut ſarmẽtis comparaui, ſed immobilibus columnis Marmoreis, quorum ſtabilem erga Regem, & Rempubl : fidem atq; conſtãtiam, mox in ſublime extuli, & omnem eo ipſo ſuſpicionem ſuſpectarum Hulſemani tædarum ab ipſis remoui : ſi tamen adhuc illæ tædæ ipſis potius, quàm alijs, ſuppoſitæ fuiſſe credantur, quod à me nec creditum, nec dictum fuit. At illi Hulſemanum, hominem ſic aliquibus ſuſpectum, huc aduocârunt ? Aduocarint ſanè. At integritas illorum vſq; adeò nota Orbi Polono, vt nemo aliud cogitare poſsit, quàm Theologum ſuæ Profeſsionis, non autẽ hominem ſuſpectum nomine alicuius ſeditionis, eos aduocare vo-

Vindicantur incolæ Regni à ſuſpicione, qua illos Hulſemanus inuoluit.

care voluiſſe: quem ſi verè talem deprehendiſſent, qualis in ſuſpicione aliquorum erat, primi illum è finibus Regni eieciſſent. Penes te ergo ſolum Hulſemane, remaneat iſta nota, quàm tu ipſe minùs prudenter tibi comparaſti.

CAPVT XII.

Quomodo immeritò cauſatur læſum Ducem Saxoniæ, & Domum Saxonicam.

VRges tertio loco offenſam Sereniſſ: Electoris & Ducis Saxoniæ, quem eſto ab imputato crimine Rebellionis videar in mea Satisfactione velle vindicare, ipſum tamen tuâ opinione perſtringo, cùm ex certa occaſione adiungo hæc verba: *Recentiora non ſcrutor.* Et inferiùs dico: Sereniſſimo Electori *non obfuturum aliquos ex ſuis Prædeceſſoribus, Romanis Imperatoribus fuiſſe Rebelles, quam diu ille in fide data iiſdem Imperatoribus, firmus & conſtans perſtiterit.* Denique quòd Ioan: Friderico *crimen Rebellionis* inurendo, ipſi quoq; moderno Duci, cui ille ſanguine iunctus, eandem notam inuro. Singulis ſatisfacio. Et quidem primò in genere loquendo, arbitror exiſtimationi Sereniſsimi Electoris abundè per meam Satisfactionem exhibitam, conſultum fuiſſe, vbi honorem illius tam luculenter ſum zelatus, vt nemo ex ſuis fideliùs pro illo zelari potuiſſet. *In quo fingitur Dux Saxoniæ læſus.*

Quod verò ad illa attinet verba, *Recentiora non ſcrutor*: ea quomodo ad ſiniſtrum de Sereniſsimo Electore ſenſum trahi poſsint, non video. Quid enim? volebas forſan Hulſemane, recentiora vt ſcrutarer & perquirerem? *Minùs pudica* *Vita alterius non ſcrutanda.*

dic a eſt; dixerat quondam Seneca, *de qua quæritur.* Inquirere in vitam alterius, eſt non leuiter derogare illi. *Ne inſidieris, & quæras impietatem in domo iuſti* (monet Spiritus Prou:24. Sanctus) *& non vaſtes requiem eius.* Ab eo volui abſtinere; & imputatur mihi crimen. Crimine hoc notari malo, quàm nimiæ curioſitatis ſcrutinio.

Quod item dixerim: Notam Prædeceſſorum, Modernum Ducem Saxoniæ non afficere, *quamdiu ille in fide data Imperatoribus Romanis perſtiterit:* nec hîc quidem video quâ ratione Ducem Saxoniæ læſerim. Niſi fortè volebas Hulſemane, vt potiùs dixiſſem: *Etiamſi in fide data Romanis Imperatoribus non perſtiterit.* At nec Sereniſsimum Electorem Saxoniæ in violatâ fide Imperatoribus, ſuam conuenit laudem integram conſtituere: nec ſine Imperatoris Romani iuſtâ læſione, talia me decuit pronuntiare: cui longè plùs quàm Saxoniæ Duci deferendum mihi ſemper cenſui, velut Supremo in Chriſtianitate Monarchæ.

Quòd autem modernus Dux Saxoniæ ſanguine ſit iunctus illi, cui in fide Hiſtoricorum crimen Rebellionis contra Carolum V. imputaui, mihi quidem (& ſi id probè noſſem) ſufficiebat pro moderni Ducis honore diſsimulâſſe, vt illis ſaltem non innoteſceret quos hactenus latebat: con- *Hulſem: Rebellionem propalauit.* tentus autem eram de his, quos Rebelles dicunt Hiſtoriographi, in communi ad finem Satisfactionis dixiſſe: *Quicunq; tandem illi erant.* Nec tamen tu diſsimulaſti, non minùs modò quàm antè, incautus in adurenda & propalanda nota Domus Saxonicæ, cùm non defuiſſent alij penes quos eam poteras permittere fore apprehenſam. Cæterùm,

quemadmodum Mauritius, tunc quando post Ioãnem Fridericum, Electoratum Cæsaris beneficio receperat, magis se honoratum, quàm in eiusdem Ioannis Friderici, sui licet cognati, reputatâ Rebellione, denigratum censuit, ita & de moderno hoc idem sentio Duce.

Quòd autem te dicere intellexi Ioanni Friderico non decreto Cæsaris (quod vtiq; asseris nullibi extare) Electoratum ablatũ fuisse, sed per compositionem alteri, ipsi sanguine iuncto per eũ delatum. Fateor me decreta Caroli V. non reuoluisse, nec eas subtilitates penetrâsse: Sleydani cum pluribus alijs è nostris, & tuis, concordem Historicam relationem (vt insinuaui) attendisse. Quicquid in meis displicet dictis, Sleydanum, cæterosq; Historicos in ius voca: & hoc primum elabora in illis vt expungatur, quòd tibi contra Domum Saxonicam ab ipsis notatum non probatur. Mihi, vel horum, sufficit testimonium ad principale intẽtum stabiliendum, Symbolum scilicet à te productum, non immeritò nobis fuisse suspectum: quò non confert mihi, an in veritate fuerit Ioannes Fridericus, vel aliquis alius Rebellis, sed satis est ad suspicionem ingerẽdam, à probatis Historiographis hoc fuisse connotatum, siue in ea ipsi fuerint sententia, siue Cæsarem (quod plus est) eius fuisse sententiæ scripserint: quod non sine causa adijcio: ne fortè allegatum à me Sleydanum opponas, non tam ex sua, quàm ex Cæsaris sententia, vocantem Saxonem Rebellem.

Ex Hist: Rebellio attenditur.

Ad vltimum quæcunq; tandem in hac tertia obiectione, de læso, mediatè vel immediatè, Serenissimo Duce Saxoniæ per meam historicam relationem adduxeris, & contra me

tra me replicaueris illud vnicum, pro omnibus reſpondeo: me quidem Sereniſsimo Electori, ſicut cæteris quibuſque Chriſtiani Orbis Dynaſtis, debitum ſemper deferre honorem; ſed quod in gratiam alicuius horum, ſtolidus fiam, & hiſtoriæ toti orbi notæ ignarus, euocatus præſertim & neceſsitatus ab aliquo, ad purgandam innocentiam, & falſi criminis notam; hoc porrò nec vllum illorum rationabiliter requirere, nec à me honeſtè præſtari poſſe arbitror. *Nos ſtulti propter Chriſtum*, dicebat olim Apoſtolus: quem hâc in parte libet imitari: at propter Chriſtum, inquam, non propter ſæcularem aliquem Principem. Tibi hanc laudem cedo, ſi lubet, Hulſemane.

Quartò deniq; vrges contra me, quòd Proteſtantes illos (quicunq; tandem illi fuerint) de crimine Rebellionis contra Carolum V. inſimulauerim. Contendis enim arma illorum non Rebellionis ſed Defenſionis fuiſſe: non ad impugnādum Imperatorem ſumpta, ſed ad Sacra ſuæ Religionis tuenda, & ab oppreſsione Cameræ Cæſareæ, cōtra pacta & reſcripta Cæſaris, ſua iura defendenda; quod cuiuis mortalium iure naturali licitum eſſe, nemo poteſt negare.

Hiſt: Proteſtantes vocant Rebelles. At nuper iam dixi, & antè in Satisfactione mea expreſsi, & iterum iterumq; repeto, mea non intereſſe, fuerintnè verè Rebelles illi, vel non? Sufficit ad legitimam pro noſtra cautela ſuſpicionem, à pleriſq; probatis Hiſtoriographis, perpetuis id monumentis conſignatum eſſe, illoſq; ab Imperatore pro talibus habitos, & vt tales Carceribus pœniſq; mulctatos, dignitatibus detruſos, fortuniſq; priuatos fuiſſe? vt quādiu contrariū certius nobis nō cōſtet, Symbolū conſpirationis illorū, iure à nobis habeatur ſuſpectū.

CAPVT XIII.

Ex Protestatione Protestantium deducitur, Quæ, & ex qua Parte fuerit causa belli, contra Carolum Quintum?

AT quia mordicùs conaris defendere, bellum illud Protestantium contra Carolum V. bellum fuisse defensionis, non rebellionis, iam euidenter, partes Protestantium sustinens, pijssimi Imperatoris Caroli Quinti, de Catholica nostra Religione Principis optimè meriti, innocentiam inuadis. Si enim illos arma defensiua contra Cæsarem sumpsisse asseueras, Cæsaris prætẽsam oppressionem accusabis. Non tam igitur ad notam Rebellionis Protestantibus magis ac magis infigendam, quàm ad optimi Cęsaris innocentiam vindicandam, & Cameræ Cæsareæ (cõtra quam omnem impetum vulgò Protestantes conuertunt, ne Cæsarem ipsum directè videantur petere) integritatem demonstrandam, prolixiorem paulò telam ordior.

Non peregrina aduoco, non de longe petitos discursus, produco: ad ipsam Protestationem Confæderatorum illorum, impressam Vitembergæ per Georgiũ Rhau, Anno Domini, 1538. Mense Decembri, te Hulsemane reuoco. Vbi hoc inprimis aduerto, in Cautione Cæsarea pacis publicæ, Imperatorem, pressum necessitate (vt ibidem diplomate Cæsareo inserto insinuatur) belli Turcici, in multis condescendisse Protestantibus, cum ijsque compositionem transegisse, etiam iniquis conditionibus: ne bello ciuili distractus, illisq; sibi negotium facessentibus, qui iam *Quare Cæsar Protestantibus condescẽsit?*

antè negârant ſubſidia, Turcæ communi Chriſtianitatis hoſti, prout opus erat, reſiſtere non ſufficeret. Conuentionem itaq; cum ijſdem Proteſtantibus per ſuos Commiſſarios initam, & concluſam, ratam habuit; vt nimirum inter ſe, & omnes Status Sacri Imperij Germanicæ nationis, Eccleſiaſticos & Seculares, publica ſtabiliſq; pax ſeruaretur, vſq; ad generale liberum & Chriſtianum Concilium: aut eouſque, donec vniuerſi Status Imperij iterum conſcriberentur. Ita quod intra hoc tempus, nemo propter Religionis, aut vllã aliam cauſam, alteri bellum indiceret, inferet, ipſumué ſpoliaret, caperet, inuaderet, & obſideret: neq; ad hæc faciẽda per ſe, vel per alium, cuiquã inſeruiret: Nullus Arces, Vrbes, Oppida, Caſtella, Pagos, Villas, vel Prædia, inſidijs occuparet, vel contra voluntatem alterius violenter eriperet, doloué malo, incendijs, vel alia ratione alteri damnum daret, &c. ſed vnus quiſq; alterum verâ amicitiâ, & Chriſtiano amore complecteretur. Hæc erant pacta conuenta inter S. C. M. Carolum V. & Proteſtantes; vt conſtat ex allegatâ Cautione Cæſarea, pacis publicæ, ibidem inſertâ.

Iam videamus quis primùm fregerit fidem. Excuſant quidem Proteſtantes Cæſarem, accuſant Cæſaream Cameram, & indirectè ipſum Cæſarem, qui cauſas ad Religionẽ ſpectantes, & protunc incidentes, cognoſcendi, Cameræ commiſerit. At quâ occaſione hoc factũ? non alios quàm ipſos Proteſtantes, ibidem, in ſua illâ ſcilicet Proteſtatione, teſtes adhibeamus. Quid ergò illi contra Iudices Cæſareæ Cameræ? Accuſant illos, quòd prætextu articuli poſiti in decreto Comitiorum Spirenſium, & Auguſtenſium, cuius

hæc sunt verba: *Nemo Ecclesiasticorum aut Secularium statuũ, propter causam fidei, vim alteri inferre, vel eum inuadere seu oppugnare debeat, neq; item suâ iurisdictione, reditibus, censibus, decimis, aut alijs bonis priuare, &c.* illos ergò (Iudices videlicet Cæsareæ Cameræ) accusant, quòd prætextu huius articuli, iurisdictionem sibi arrogent, contra quosdam ex suis, *qui titulotenus Ecclesiasticis quibusdam,* (sic nostros vocant) *imò impijs hypocritis, & idololatris, census, reditus, & decimas, & similia bona, propter ipsorum idololatriam interdicant.* Et rursum: *In omnibus causis sine vllo discrimine, & maximè aduersus quasdam Ciuitates, nempè Hamburgam, & Mindam, quarum causa absq; dubio ad Religionem pertinet, perpetuò processerunt:* scilicet Iudices Cameræ Cæsareæ, *easq; suis censuris eò adigere conati sunt, vt suis sacrificulis, non tantùm domus, census, reditus, & similia restituere, verumetiam impias Missas Papisticas, aliasq; Cæremonias, & ipsam doctrinam Pontificiam cum Dei Verbo, & sincera nostra fide ac Religione pugnantem, in pristinum statum reuocare deberent.* Et rursum: *Vocantur quidam nostrorum coniunctorum in ius, hac de causa, quòd impiam ac Dei verbo aduersantem Missam Pontificiam, ac Cæremonias in suis territorijs abrogari curauerint, &c. Hîc arrogat sibi Iudicium Cameræ Imperialis cognitionem, &c. Item aliud: Si Monasterium aliquod intra nostram, vel nostrorum coniunctorum ditionem, aut territorium situm sit, in quo personæ quædam eius ordinis siue Professionis eruditæ verbo Dei, id vitæ genus, puta; plenum scandalis, & pugnans cum sincera Euangelij doctrina relinquant; aut saltem inter sese alijs Cæremonijs, Sacris literis consentaneis, vtantur: cæteræ verò Personæ eiusdem Monasterij nolint ve-*

Pacta Cæsaris cum Protestãtibus.

Prætensiones Protestantiũ contra Camerã Cæsaris.

 lint ve-

lint veritati cedere, sed in suis pristinis erroribus, idolatriâ, & impietate pertinaciter perdurare: & interim tamen reditibus, ac bonis Monasterij, pro sua libidine frui & abuti. Hic nos, & nostri, vt scandalum, Idololatria, & discordia Religionis in ditionibus nostris prohibeantur, non immeritò partes nostras interponimus: quemadmodum etiam illi ipsi qui doctrinam Papisticam amplectuntur, diuersas suorum in Religione opiniones, & cultus non ferunt: Accidit iam, vt vnus aut plures istorum pertinacium & indoctorum Monachorum ac Hypocritarum qui odio sincerioris doctrinæ Euangelicæ à nobis aufugerunt, spem concipiant ad suam pristinam saginam, & idololatriam redeundi: ac propterea litem mouent: asserentes suum vitæ institutum pium, & Sacris literis consentaneum esse: iam sumit sibi cognitionem Cameræ Imperialis Iudicium: cui nos nullo modo stare possumus. Et deniq; prope finem: *Cogemur*, inquiunt, *nostri & nostrorum legitimam tuitionem ac defensionem suscipere, & hanc iniustissimam, tum Cameræ Imperialis, tum aliorum Iudiciorum executionem rationibus ac vijs, à iure Diuino, & legibus naturæ concessis, Deo iuuante, auertere, & impedire: & eò consilia nostra dirigere, vt nos nostriq;, in causa Religionis Christianæ coniuncti, & fœderati, veritatem Euangelicæ doctrinæ atq; ita veram Christi Religionem, explosâ iam idolatriâ, retinere: vt contra talium processuum iniuriam, per Dei gratiam, tuti esse queamus, &c.* Hæc Protestantes.

Ex quibus proprio iugulantur gladio. Fatemur quippè quod dicunt, verum esse; nimirum inter Cæsarem, & illos, pacta conuenta fuisse, neminem causa Religionis inuadendum, neminem suis bonis spoliandum. Admittimus

item

item Cameram Imperialem traxisse Protestantes ad suum Iudicium, in causis, vt prætendunt, Religionis. Sed quâ occasione? Ipsimet non negant, sed disertis, vt visum est, fatentur verbis, se ideo à Camera Cæsarea conuentos fuisse, quòd Exercitium cultûs Religionis Catholicę prohiberent, Missarum celebrationem impedirent, census, reditus, decimas, Personis Ecclesiasticis præriperent, bona Ecclesiastica, Monasteria, & Domos Religiosorum occuparent. Hæc autem omnia recenter, & post factam vtrinq; Conuētionem, fiebant: nam & verba Protestātium, quasi de præsenti, vt palam est, hæc vniuersa referunt, ob quæ ad Iudicium Cameræ trahebantur. Primi itaq; Protestantes erant, qui fidem pactorum fregerant, primi contra Conuentionē vtrinq; factam, bona Catholicorum inuaserant. Hinc oppressi Catholici, & Ecclesiastici, conueniebant Cameram Cæsaream, conquesti de suorum, imò Ecclesiæ, bonorum inuasione, & violenta in materia Religionis, contra pacta, oppressione. Camera verò Cæsarea habitâ à Cæsare informatione, contra illos, tanquam pactorum violatores, & alienorum bonorum inuasores, processit. Illi porrò protestantur, iniuriam sibi fieri; scilicet quia alios iniuriari non sunt permissi. Violatam sibi fidem conqueruntur, quia contra illos, primos fidei violatores, actum est: iustam deniq; causam prætexunt seditiosi sui belli contra Cæsarem, non Rebellionis, sed defensionis titulo & colore illati, quia quos contra pacta aggressi sunt, per potestatem publicam Cameræ Cæsareæ, & Tribunal Imperij, vindicari ab iniuria, sustinere non poterant.

Causæ initi quę viola ti pacti ex Protestantibus.

Protestātes querūtur se iniuriatos, quia iniuriari alios non permittuntur.

Rebellio palliatur defenſione,

Sic placet imponere Orbi. Sic omnes Rebelliones mantello Religionis, & ſuæ defenſionis, velare. Sic ipſis Proteſtantibus licuit causâ prætenſæ Religionis bona Eccleſiaſtica Catholicorum inuadere vi iniuſtâ: non licuit Catholicis, citra pactorum violationem ſeſe legitimâ viâ iuris defendere. Sic deniq; Catholicorum defenſio, Proteſtantibus Catholicos aggredientibus, erat oppreſsio, & grauis iniuria: contra quam proinde æquitas, & ius naturale (vt ais Hulſemane) coëgit illos arma defenſiua ſuſcipere. Iudicet Orbis, & quidē ex Actis publicis quæ allegaui, an arma Proteſtantium contra Carolum V. fuerint arma defenſionis, quæ in Cæſare arguerent meritò, vel ſupponerēt anſam offenſionis, ſeu tyrannidis. Tu vocaueris prout placet: dummodò non ſic tuum illum Saxonem vindices, vt pium, & Catholicum Cæſarem macules. Forſan dicere poſſes tu, aut quiſpiam alius, vtrinq; iuſtum fuiſſe bellum, non in re, ſed in apprehenſione iuſtæ vtrinq; cauſæ. Sit planè iuſta, apprehēſione, nō re, cauſa Proteſtantiū. Viderit alius ex dictis, an illa apprehenſio regulata fuerit æquitate, vel ſeditione?

C A P V T XIV.

Quod Proteſtantium prætextus, Miſſam abolendi, fuit iniquus.

REm ad vlteriorem originem reuocabis Hulſemane, & æquitatem pro tuis Proteſtantibus allegabis, qui, non obſtantibus pactis conuentis cum Cæſare, impietatem Idololatriæ, Miſſam Papiſticam, abolere & exterminare conati ſunt:


ti ſunt: eóq; omnia alia, de quibus apud Cameram Cæſaream accuſabantur, direxerunt. Profundiores tecum, de fide pactorum quæſtiones, non ingredior: illud à te duntaxat inquirere velim, vnde, & quo iure, quoué titulo, aliquot Laici Principes Germaniæ, Dux Saxoniæ, Landgrauius Thuringiæ, Landgrauius Haſsiæ, &c. facta Confœderatione, vſurpârunt ſibi, imò præſumpſerunt authoritatem, potiſsimum in Eccleſia Dei cultum, SS. Miſſæ Sacrificium abrogare, & illud pronuntiare impiam idololatriam? Quomodo antiquiſsimus ille, & celeberrimus Dei cultus, ante mille, & lõgè ampliùs annos, per totum Chriſtianitatis orbem vſitatus, & vniuerſalis Eccleſiæ authoritate & pietate firmatus, in vno orbis angulo, Ducatu Saxoniæ, poſt quindecim propè ſæcula, reprobari ab aliquot Germanis, & tanquam idololatricus, iure damnari potuit? Antiquitatem, Vniuerſalitatem, & Authoritatem Sacrificij Miſſæ, non aliunde nunc lubet probare, quàm ex ipſiſmet Aduerſarijs noſtris.

Miſſam Hæretici idololatriam vocant.

Produco enim inprimis ipſum Lutherum *in lib: de capt: Babyl: c. 1.* dicentem: *Miſſa creditur paßim eſſe Sacrificium, quod offertur Deo. Accedunt his dicta SS. Patrum, tot exempla, tantuſq; vſus per orbem conſtanter obſeruatus.* Et rurſum: *Nec moueat, quòd totus orbis contrarium, & ſenſum, & vſum habeat.* Et in dedicatoria lib: de Abrog: Miſſæ: *Magnum eſt certè tot ſæculorum conſuetudini, tantæ multitudinis ſenſui, tantorũq; Authoritati reluctari.* Et rurſum obijcit ſibi: *Tu ſolus ſapis? totnè errant vniuerſi? tanta ſæcula ignorauerunt?* Et deinde reſpondet: *Profiteor inprimis aduerſus eos qui clamaturi ſunt,* quod

Antiquitas Miſſæ ex Aduerſarijs demonſtratur.

quòd contra ritum Eccleſiæ, contra ſtatuta Patrum docuerim, nihil horum me auditurum. Et in lib: de Miſſa priuata: *Hîc non moramur*, inquit, *ſi clamitent Papiſtæ: Eccleſia, Eccleſia: Patres, Patres: quia vt dixi, hominum dicta aut facta, nihil in tam magnis cauſis curamus. Scimus enim ipſos Prophetas lapſos eſſe, adeòq; Apoſtolos. Verbo Chriſti iudicamus Eccleſiam, adeòq; ipſos Angelos.* Deniq; in lib: contra Regem Angliæ: *Vltimò*, inquit, *dicta Patrum inducit Rex pro Miſſario Sacrificio, & ridet meam ſtultitiam, quòd ſolus velim ſapere præ omnibus. Hoc eſt quod dixi, Thomiſticos aſinos nihil habere quod producant, niſi multitudinem hominum, & vſum antiquum.* Sic Lutherus. Conſonat Caluinus *lib: 4. Inſt: c. 18. §. 1.* cùm ait: *Peſtilentiſſimo errore Sathan totum penè Orbem excæcauit, vt crederet Miſſam Sacrificium.* Et rurſum: *Congredi me lectores intelligant, cùm eâ opinione, quâ Romanus Antichriſtus, & eius Prophetæ totum Orbem imbuerunt.* Et §. 12. *Non eſt cur vllâ hominum Authoritate, vel annorum præſcriptione, patiamur nos moueri.* Et §. 18. dicit: *Hâc, de Miſſa ſententiâ, inebriatos eſſe omnes Reges terræ & populos, à ſummo vſq; ad nouiſſimum.* Vel ex confeſsis itaq; ipſorummet Aduerſariorum noſtrorum, & maximorum Miſſæ hoſtium, conſtat dogma de Miſſæ Sacrificio, & præſcriptione vetuſtiſsimæ Antiquitatis, & extenſione ampliſsimæ per Orbem Vniuerſalitatis, & Patrum atq; Eccleſiæ totius Authoritate, firmatum fuiſſe. Quomodo igitur illud, aliquot homines Laici, auſi ſunt improbare, & tanquam idololatricum damnare?



CAPVT

CAPVT XV.

Quod authoritas Lutheri, & Philippi Melanthonis, pro abroganda Missa, nulla fuit.

SEd forsitan interuenit Authoritas Magni Apostoli Lutheri, & Coapostoli eius Philippi Melanthonis, qui hoc Genti illi persuaserunt, eamq; in contrariam toti Orbi pertraxerunt sententiam. Magna vis profectò horum Apostolorum & Prophetarum, noui inquam Isaiæ, & Ieremiæ: Sic enim Lutherus seipsum, & Melāthonem, vocauerat aliquando in hilarioribus Colloquijs Mensalibus: *Ego Isaias: Melanthon Ieremias.* Sic Caluino pro *insigni Apostolo* Lutherus habitus. *L. 1. de Lib: arbitr: contra Pighium.* Quis porrò non deferat tantæ authoritatis hominibus? At num illi signa Apostolatus sui aliqua exhibuerunt? Num eximiâ aliquâ sanctitate, vel miraculis, suæ veritatem doctrinæ comprobârunt? Num vel muscam mortuam suscitârunt? vel claudū saltē equū (sicut illis exprobrat quodā loco Erasmus) miraculo curârunt, vt suaderent hominibus, illud esse potiùs tenendum, quod prædicârunt, quàm quod tota hactenus vbique tenuit Ecclesia? tot probârunt Patres? Nihil horum planè. *Lutherus nullum miraculum fecit.*

Vnde ergo tanta hominibus præsumptio, vt spretâ Authoritate Sacrosanctæ Antiquitatis, & Primorum Ecclesiæ Procerum, noua audeant introducere dogmata, & sententiæ Patrum, suam non modo contraponere, verùm etiam præferre sententiam? An non ingentem vocauero præsumptionem, quod Lutherus, præter adducta præcedenti Ca-

Præſumptio ingẽs Lutheri

pite, *Lib: ad Ducem Georg*: ait: *Nullum ab Apoſtolorum temporibus Doctorẽ aut Scriptorẽ, tam egregiè conſcientias ſæcularium confirmaſſe, erudiſſe, confortaſſe, ac ſe ſpeciali Dei gratiâ adiutum. Hoc certò ſcio*, inquit, *quòd neq; Auguſtinus, neq; Ambroſius, omnium in hac re optimi mihi pares ſunt*. Et rurſum contra Regem Angliæ: *Dei verbum omnibus maius eſt: Diuina Maieſtas pro me ſtat. Non vereor igitur, ſi mille Auguſtini, mille Cypriani, mille Regis Henrici Eccleſiæ mihi aduerſentur*. Hinc ſui quoq; diſcipuli nimis creduli, quam indignè adulati ſunt ipſi? Albertus quidam *Lib: contra Carolſtad*: *Non dubito*, inquit *quin ſi viueret Auguſtinus, Martini Lutheri diſcipulum profiteri non erubeſceret*. Et alter apud Hoſpinianũ, *in Hiſt: Sacram: Part: Alt*: præfert: *Vnum folium in Luthero, omnium Patrum Scriptis*. Sic & ipſe Lutherus, *in Colloqu: Menſ: tit: de Patribus*: *Apologia Philippi*, inquit, *omnes Eccleſiæ Doctores ſuperat, etiam Auguſtinum*. En quanti illi erant Patres? ſed non potuit melius id exprimere, quam *in Com: Epiſt: ad Gal: c. 1.* vbi quò ſibi apud ſuos maiorem Sanctis Patribus, conciliaret fidem, ſic inquit: *Ego ſuadeo Diuina & humana: omnes ergo Patres ſtipites & fungi fuerunt*.

Impiũ dictum Lutheri, cõtra SS. Patres.

Horrenda ſunt quæ & ipſe, & exemplo illius Caluinus quoq;, contra plurimos SS. Patres in particulari protulerunt; quæ longo ordine recenſet Grauina *Cathol: Præſcript: Lib: 4. quæſt: princ: 3. a. 6.* Sicut enim apud Lutherum, ita & apud Caluinum proſtrata fuit Authoritas Sanctorum Patrum. Hinc iſte *in Præfat: Inſtit*: Scripta Patrum non aliter admittit, quàm *vt ſeruiant*; non verò *vt dominentur nobis*. Quid præſumptuoſiùs dici poterat? Et *Lib: 2. Inſtit: cap: 4.* in Ma-

Caluini ſimiliter neglectus SS. Patrũ.

in Materia Satisfactionis, omnes ferè Patres *lapsos esse* asserit, *aut nimis asperè & durè locutos*. Et *Lib: 3. cap: 5.* vsum Ecclesiæ ante mille & trecentos annos orãdi pro Defunctis, liberè reijcit: & ad obiectionem Patrum respondet: *Abrepti etiam, fateor, ipsi in errore fuerunt.* S. Augustino quoq; referenti petitionem suæ Matris S. Monicæ, vt sui memoria in peragendis Mysterijs fieret ad altare, talem apponit ibidem censuram; *Anile scilicet votum, quod filius non exegit ad normam scripturæ: sed pro naturæ affectu alijs probari voluit.* Sic Caluinus exemplo Lutheri. *Irridet Caluinus S. August.*

Sed ad ipsum reuertamur Lutherũ. Vnde ille tantâ securitate torrenti Patrum sese opponit? *Primus fui*, inquit, tom: 7. fol: 274. *cui Deus hæc quæ vobis prædicata sunt, reuelare dignatus est.* Ergo ante Lutherum nulli alteri? Liceat ergo illi etiam contra omnes sentire; qui cum primus nouã habuerit nouorũ dogmatum reuelationem, nulli illam debet, quia à nullo accepit: imò liceat illi omnibus sese opponere: qui primus præ omnibus veram doctrinam assecutus est. Dicat & ipse, quod olim Petrus Abailardus dicere solebat, apud S. Bern: *in Epist: 190.* ad Innocentium: *Omnes quidem sic: sed non ego sic.* *Stulta Lutheri iactãtia.*

Sed mox occurrat quoq; illi idem S. Bernardus, ijsdem quibus & Abailardo: *Quid in his verbis intolerabilius iudicem, blasphemiam, an arrogantiam? quid damnabilius, temeritatem, an impietatem? Annon iustius os talia loquens, fustibus tunderetur, quàm rationibus refelleretur? Nonnè omnium in se meritò prouocat manus, cuius manus contra omnes? Omnes, inquit, sic: sed non ego sic. Quid ergo tu, quid melius affers? quid* *Iactantiã similem Abailardi confutat S. Bern.*

subtiliùs inuenis? quid secretiùs tibi reuelatum iactas? quod tot præterierit Sanctos, effugerit Sapientes? Aquas furtiuas, & panes absconditos, puto, apponet nobis iste. Et paulò post: *Qui loquitur mendacium, de suo loquitur. Tibi proinde sint, quæ tua sunt. Ego Prophetas & Apostolos audio, obedio Euangelio, sed non Euangelio secundùm Petrum. Tu nobis nouum condis Euangelium. Quintum Ecclesia Euangelistam non recipit.* Quid magis contra Lutherum appositum?

Sed & S. Pacianus, (qui tempora S. Hieronymi præcesserat) *Epist: 1. ad Sympron:* non minùs egregiè contra similes expostulat: *Quid?* inquit: *Parua nobis de Apostolicis viris, parua de primis Sacerdotibus, parua de Beatissimo Cypriano Martyre atque Doctore currit Authoritas? An volumus docere Doctorem? An sapientiores illo sumus: & spiritu carnis inflamur aduersus eum, quem æterni Dei testem, nobilis cruor, & clarissimæ Passionis corona produxit? Quid tot earum Partium Sacerdotes, quos per totum Orbem cum eodem Cypriano pax vna solidauit? Quid tot annosi Episcopi, tot Martyres, tot Confessores. Age, si illi vsurpando nomini huic authores idonei non fuerint, nos idonei erimus negando? Et nostram potius authoritatem Patres sequentur? & emendanda Sanctorum cedet antiquitas? & iam putrescentia vitijs tempora, canos Apostolicæ Antiquitatis eradent?* Consonat his rursum S. Bernardus, *Epist: 184. Nunquid*, ait, *Patribus doctiores aut deuotiores sumus? periculosè præsumimus, quicquid ipsorum in talibus prudentia præteriuit?* Apodosis minùs per me necessaria, vbi vltrò sequitur ipsa.

Quantum SS. Patribus deferendū.

Non sumus SS. Patribus doctiores.

Quantum verò ipsemet S. Bernardus detulerit SS. Patribus,

tribus, luculenter oſtendit, cùm contra Neotericum quendam ſcribens, *Epiſt: 77. Miror admodum*, inquit, *ſi nouus iſte nouarum inuentor aſſertionum, & aſſertor inuentionum, in hoc rationem potuerit inuenire, quæ SS. Patres latuerit, Ambroſium, Auguſtinum; ſiue authoritate eorundem, authoritatem potiorem.* Et mox de ſeipſo loquẽs: *Ab his ergo*, inquit, *duabus columnis, (Auguſtinum loquor & Ambroſium) crede mihi, difficilè auellor. Cum his inquam me aut errare, aut ſapere fateor.* Quid verò ipſemet S. Auguſtinus de antiquioribus ſe Patribus? *L. 5. adu: Iulian: c. 2. Si vllus*, inquit, *in nobis Dei timor, ſi vllus hominis pudor, cogimur illis cedere: qui*, vt rurſum ait, c. 4. *vitâ optimè geſtâ, debellatisq; ſuorum temporum erroribus, glorioſiſsimè de hoc ſæculo, antequam nos ebulliremus, exierunt.* Et tu qui nouiſsimis ebulliſti temporibus, tantum præſumis, vt etiam reſiſtere audeas?

Nec valet, quod obijciantur aliqui SS. Patribus errores materiales. Huic enim obiectioni, abundè ſatisfacit Grauina citatus, *Quæſt: 1. art: 6.* Neq; enim mei pro nunc eſt inſtituti, latiùs hæc proſequi. Nec obſtat item prædictis, quod ipſe S. Auguſtinus *in Epiſt: ad S. Hieron:* in tantum deferre videtur SS. Patrum authoritati; in quantum conformiter Scripturæ & rectæ rationi docuerint. Hoc quippè nequaquam vnius Apoſtatæ, aut ſuorũ Sequacium iudicio metiendum eſt: vbi præſertim longa ætas, & multa tranſacta ſæcula, & tot præteritorum Doctorum oracula, ac Eccleſiæ conſenſus, doctrinam SS. Patrum firmârunt. Tunc quippè videndum, *an vllus Dei timor, vllus hominum pudor* in eo, qui nolit cedere?

Obiectiones, & ſolutiones earum.

Ipſe Sleyd: in Hiſt: non diſſimulauit factum.

Matrimo: cũ Moniali Iure Can: nullum. Cæſar. infame. L. Quid ergo. ff. de his qui notãtur infamiã.

Sic plane in præsẽti caſu occurrit. Toti Antiquitati, Miſſam impugnãdo, ſeſe opponit vnus Monach⁹ Apoſtata Lutherus: qui excuſſo iugo Religionis, fractiſq; votis, Deo nũcupatis, infami & ſacrilego inceſtu potiùs quã cõiugio, Moniali copulatus eſt: vt illi merito aptâris illud Virgilianum:

Coniugium vocat: hoc prætexit nomine culpam.

qui item in ſuis dictis & ſcriptis ſemper ſordidus, Diabolum ſæpiùs quàm Deum in ore habens, vel in charta exarãs. Hæc eſt laus magni illius Prophetæ, & quinti Euãgeliſtæ. Tandẽ à quo ille edoctus, contra Miſſam pugnauit? Quid vobis Lutherani opus tergiuerſari? Palàm Propheta veſter fatetur, *Lib: de Miſſ: priu. & vncti: Sacerdot:* qui habetur *Tom: 7. Oper: eius, fol: 228. Edit: Vitemb: 1558.* ſe à Diabolo perſuaſum, & diſputatione conuictum fuiſſe, ad credendum, Miſſam eſſe abominationem & idololatriam; idq; nõ per ſomnium & quietem, ſed palàm, & dum vigilaret. Refertq; per longum, diſcurſum, ſiue dialogum ſuum cum Diabolo, circa hanc ipſam materiam, quem, cui non datur ipſum legere Lutherum, videre poterit fideliter extractum apud IacobumGaulterium, in Chronol: in *Prima verit. Primi ſæculi.* §. *15.*

Lutherus à Diabolo edoctus, Miſſam abrogare.

Alij quoq; Hæretici Diabolo Præceptore edocti, myſteriũ Eucharistiæ impugnârunt.

Mira res profectò, quod ij Hæretici qui oppugnârunt Myſterium Euchariſtiæ, Diabolo ad hoc prçceptore ſe vſos fuiſſe palàm ipſi, ſecretâ Dei prouidentiâ, prodiderint. Sic & Zwinglius *Lib: de ſubſid: Euchariſt:* circa Annum 1525. referre non erubeſcit, ſe per ſomnium edoctum fuiſſe à quodam Monitore, (*Ater,* inquit, *fuerit, an albus? nihil memini*) in illis verbis: *Hoc eſt Corpus meum.* Iy *Eſt,* accipiendum

eſſe

esse pro: *significat.* Propter quod ipse postmodum Lutherus in Libro, *Defensio verborum Cœnæ:* Diabolicam hanc Zwinglij doctrinam vocauit. Sicut & *in Colloquio Vitemberg:* Malignum fuisse Spiritum dixit, qui docuit Bucerum negare, Christi Corpus & Sanguinem verè ac realiter in Eucharistiæ Sacramento existere: scilicet:

Væ tibi, væ nigræ, dicebat cacabus ollæ.

Sic Paræus Caluinista, in Prçlectionibus Cathechisticis, opponit sibi argumentum Lutheranorum: *Doctrina Caluinistica profecta est à Dæmone, qui eam Zwinglio inspirauit. Ergò non potest esse vera.* Et reponit sic contra Lutheranos retorquendo: *Doctrina Lutherana, de abroganda Missa, est etiam à Dæmone inspirata. Ergò similiter non potest esse vera.*

Et quidem magnus Apostolus & Doctor Gentium, protestatur: *Licet nos, aut Angelus de cælo, Euangelizet vobis, præterquam quòd Euangelizauimus vobis, & præter id quod accepistis, anathema sit.* Gal: 1. Nostris autem nouis Euangelistis, & Euangelicis, parum interest quòd sit Angelus de cœlis, vel de infernis: quòd sit *albus, vel ater*; quòd sit vno verbo Angelus, vel Diabolus, dummodo annuntiet, præter id quod ab initio Euangelizatum est illis, præter id quod ab initio acceperunt; ratum firmumq; est, & omne contrarium, anathema. Annuntiet aliquid nomine Dei, Christi Vicarius in terris, Anathema sit, *Maledictus*, ait Hulsemanus *in Manuali fol: 1244. qui ideò accipit.* Annuntiet aliquid Diabolus, spiritus tenebrarum, ater, noctu obambulans, in nocturna vigilia, vel somnio; dogma est, Euangelium est. *Ego veni*, inquit Christus, *in nomine Patris mei, & non accipitis me: si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Ioan: 5.

Diabolo potiùs quã Sũmo Põtifici, malunt obedire Hæretici.

Pro-

Philippus Melāthon semper incōstās. Progrediamur ad Philippum Melanthonem, hic profectò in suis dogmatibus tam varius & inconstans, & verè hærens Hæreticus: vt vulgò, *Cothurnus Germaniæ*, appellatus fuerit: & illum omnes Sectæ post obitum eius, sibi tanquā suum vendicârint: cui morienti sua mater, quam à fide Catholica abduxerat, assistens, sollicitèq; ab illo requirens, ac per Deum viuum illū adiurans, sibi vt in illa hora diceret, quænam Religio melior foret, an Catholicorum, à qua recesserat? an illa ad quam eam induxerat? clara & ab omnibus intelligibili voce respondit: *Hæc plausibilior, illa securior.* Sic infelix, vel in ipsa morte fluctuabat inter magis plausibile, & magis securum. *Florim: de Orig: hæres.*

Sed potissimum, quoad hunc articulum de SS. Missæ Sacrificio, inconstantissimus fuit quoad vixit. Licet enim in aliquibus Operibus suis legatur Missam reiecisse; alibi nihilominus eam videtur admittere. Specialiter in Confessione Augustana, cuius ipse citra dubium Author fuit: *Falsò*, inquit, *accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant: retinetur enim Missa apud nos, & summâ reuerentiâ celebratur: Seruantur & vsitatæ cæremoniæ ferè omnes, præterquàm quòd Latinis cantionibus, admiscentur alicubi Germanicæ, &c.* Quis crederet Philippum loqui hoc loco, de alia Missa, quàm eâ de qua tunc exorta erat controuersia, quamq; hucusq; retinuerat Catholica Ecclesia? Eam ergo non solùm in suis Ecclesijs asserit retineri, & summâ reuerentiâ celebrari, verùm etiam grauiter expostulat, quòd de hoc sui accusentur, quasi Missam aboleant: cùm etiam ferè omnes vsitatas cæremonias obseruent, præterquàm quòd Latinis cantionibus *Fingit Melanthon, apud suos retineri Missam.*

inter-

intermiſceant quandoq; Germanicas. Quis hîc cogitaret excluſa ſubſtantialia noſtræ Catholicæ Miſſæ, ob quæ illi ſumma reuerẽtia debetur, vbi vel ex ipſis cæremonialibus, non aliud variatum adſtruitur, quàm Germanicarum cantionum nonnulla adhibitio; niſi ea, quæ poſtmodum ſubiungit ibidem, & quæ alibi apertiùs tradidit, dubiam fidem Philippi redderent? Credibile eſt, hunc articulum vnum fuiſſe ex illis, de quibus, teſte Hoſpiniano *p.2. Hiſt:* A.1541. recognouit poſtmodum ipſe, ſe aliquos ex prædictis Articulis Auguſtæ condidiſſe, ambiguos & flexiloquos, ſubinde mutandos, atq; ad occaſiones accommodandos. Sic & Caluinus *Ep: 32.* de eodem Melanthone, & Bucero tradit, eos formulas de tranſubſtantiatione condidiſſe, ambiguas & fucoſas. *Articuli Aug: cõfeſſ: ambigui, & flexiloqui.* *Richel: in Defenſ. c.7.*

Non ergo ſufficienti authoritate horum duorũ, nitebãtur illi Principes Germaniæ ad Miſſam abrogandã, quorũ alter Diabolo præceptore hac in re vſus eſt: alter tam variè & trepidanter, imò amphibologicè, continuo vniuerſalis Eccleſiæ vſui ſeſe oppoſuit. Non hominum (dicerent illi) teſtimonio nitebamur, ſed Verbo Dei. Siccine vobis tantum, ô Lutherani, locutus eſt Dominus, non etiam nobis? Siccine ad vos primum peruenit Verbum Dei, quod Eccleſiam tanto tempore latuit? Siccine vos primi, qui poſt tot ſæcula, Eccleſiam Chriſti, verbo reuelato vobis, & non alijs, ab idololatria vindicatis? *Ergo vos eſtis ſoli homines: & vobiſcum morietur Sapientia.* *Iob 12.*

Optime in rem, familiaris alioqui vobis Eraſmus, ad Ludouicum Berum: *Nunquam mihi perſuaderi potuit neq; poterit,* *Notabile Eraſmi dictum.*

terit, Christum qui Veritas est, & Charitas, tam diu passum fuisse dilectam Sponsam suam, hærere in errore tam abominando, vt crustulum farinaceum pro ipso adoraret. Si hoc aliud à nostro intẽto videatur (quamuis reuera non sit aliud) dicam à simili. Cui vnquam mortalium, sani sensus persuaderi potuit, Christũ, qui est Veritas, & Charitas, tam diu passurum fuisse, dilectam Sponsam suam Ecclesiam, in tam abominando errore idololatriæ circa Missam, tot sæculis hærere? Nisi fortè dicas Ecclesiam illam, in qua Missæ celebrabantur, non fuisse veram Christi Ecclesiam. At præterquam quod aliâ fusiori refutatione id exploditur, satis sit nunc, vel ipsum Lutherum, agnoscere (vt ex suprà allegatis testimonijs illius euidenter patet) in Ecclesia, vsum Missæ receptissimum fuisse: Nec opponit Ecclesiæ nostræ aliam meliorẽ tunc Ecclesiam, sed solùm Verbum Dei, quo vult *ipsam quoq; Ecclesiam iudicandam.*

Ioannes Hus stat pro Missa. Deniq; saltem Ioannem Hus, dixerint Lutherani veræ Ecclesiæ membrum fuisse, quem vulgò sibi adsciscunt, & pro Martyre reputant. Hic porrò Missas more nostro celebrabat, & maximam illarum æstimationem habebat, & efficaciam agnoscebat, præsertim ad liberandas animas è Purgatorio. vt videre est, *Tom: 2.* Operum eius impressorum, per ipsos Lutheranos Norimbergæ A. D. 1558. imò inter alia crimina adscribitur illi, quod licet iam nosset excommunicationis sententiam contra se latam, domi tamen priuatam Missam celebrabat, assistentibus quibusdam suæ Sectæ complicibus. Videatur præter alios Florimund: *lib: 4. de Orig: Hæres: c. 3.*

Non igitur iusta ratio, sed fucatus color erat Principum illorum Lutheranorum, quòd priuatâ Authoritate SS. Missæ Sacrificium, tot sæculis in Christi Ecclesia, toto Orbe diffusa, vsitatum, abrogare, & tanquam idololatricum, non Dei Verbo, sed suo sensu, & vnius Impostoris ductu, temerè condemnare, ob idq; Catholicos persequi, & suis spoliare bonis, præsumpserint; interuenientibus præsertim vtrinq; pactis conuentis, de quibus suprà. Multò minùs licuit eos prætextu prætensæ suæ Religionis, alioqui nouiter exortæ, contra Cæsarē arma sumere; non alia de causa, quàm quòd antiquos ritus Ecclesiæ, cōtra nouiter exorta dogmata, tueretur; & oppressos hoc nomine à Protestantibus Catholicos contra pacta, secundum iura, & leges iustitiæ, vindicaret.

CAPVT XVI.

Quod iniquè agant Lutherani, plebi, siue subditis, potestatem supra Principes tribuendo, qui arguunt aliquos ex nostris Doctoribus, potestatem Papæ saltem indirectam in temporalibus astruentes.

ILlud adhuc omittere hoc loco nefas censeo, quod tu Hulsemane, causam tuorum Lutheranorum iustificans, contendis potuisse Subditos Cæsaris, contra suum Principem, prætextu defensionis, & tuendæ Religionis prætensæ, arma sumere, qui in Manuali tuo fol: 600. *cyclopicam, & seditionis plenam doctrinam, gladio & igne proscindendam*, pronuntias, quam aliqui ex nostris Doctoribus tradunt, cùm de potestate Summi Pontificis tractantes, asserunt, illum non mo- *Quomodo penes Pa-*

Papam poteſtas temporalis ſupra Reges.

non modò ſpiritualem, ſed etiam indirectè temporalem in tota Eccleſia poteſtatem habere: hoc eſt; vt in cauſa Religionis, & vbi periclitaretur bonum Eccleſiæ, poſsit ſceptra transferre, Reges deponere, ab iuramento fidelitatis Subditos abſoluere. Hoc vobis, tibiq; Hulſemane, grande piaculum, doctrina *Seditionis plena, gladio & igne proſcindenda* videtur. Et quò in odium noſtros conijciatis Doctores, & in maiores, quæ poſsint eſſe veſtrâ opinione, reducatis anguſtias, conſilia veſtra, eò, vt plurimum, collimatis (prout occaſione quoque huius Colloquij deprehendimus) quatenus omiſsis alijs, ad eam vnicam Controuerſiam, de Poteſtate ſcilicet temporali Papæ, noſtros in publicis huiuſcemodi Congreſsibus, euocetis: vt nimirum noſtri, vel Principum euitando offenſam, Papæ Authoritati derogent: vel Papæ Summam propugnando Iuriſdictionem, Principum incurrant indignationem, eorumque animos exaſperent. Hoc non eſt aliud, quàm velle inter Statum Eccleſiaſticum, & Politicum, turbas diſsidiaque noua excitare. Is nempè eſt optatus fructus Euangelij, ſecundùm Lutherum, tumultuoſi; prout ipſe cuidam, vt habetur *Loc: Comm: Claſſ: 5.* reſpondit dicens: *Tu quereris, quòd per Euangelium noſtrum mundus tumultuetur. Reſpondeo: Deo gratias. Hæc volui fieri: Et ô me miſerum, niſi talia fierent.* Quid mirum ſi ſui quoq; aſſeclæ eundem ſpiritum turbulentum vbiq; prodant.

Ars malitioſa Hæreticorū.

Spiritus Lutheri, & ſui Euangelij, turbulentus.

Satius Papæ quàm Subditis, Principes ſubijciuntur.

At ponderandum relinquo Catholico Lectori, quidnā ſit conſultius, an Summo Pontifici, communi omnium Regum Chriſtianorum Patri, eam quam nonnulli ex noſtris

Doctoribus agnoscunt Authoritatem supra Reges, in causa Religionis attribuere, an ipsis Regum Subditis facultatem, contra eosdem Reges insurgendi, & arma leuãdi, prætextu Religionis prætensæ, vel aliunde, indulgere? quod non solum astruitur, cùm bellum Protestantium Carolo V. suo Principi illatum, defenditur; verumetiam à plerisq; Augustanæ Professionis hominibus, publicis illorum scriptis disertè docetur. Id luculentissimè Eminentissimus Cardinalis Richelius in sua Defensione, contra Scriptum quorundã Ministrorum *cap: 8.* deducit, cuius verba licet longiora, placuit hîc per extensum adducere, quibus ille post multa præmissa, Ministros Confessionistas laborantes, vt suspectam, totius Orbis Regibus, Summorum Pontificum potestatem efficiant, sic alloquitur.

Etiam qui obtusiori sunt ingenio, facilè tamen agnoscunt vestrum in Regiam dignitatem, ardens, vt videtur, studium, non ex vestra in Reges beneuolentia, sed in Papam totamq; Ecclesiam, odio ac maleuolentia proficisci. Sed ne videar vobis imponere, hîc ego manifestè ostendam maiorem vos longè populo potestatem adscribere, quàm ea sit quam vos Papæ denegatis: quòd Regibus longè perniciosum est: cùm facilè quisq; perspiciat, multò illis esse perniciosius, si populi permittantur libidini, qui sæpè se læsum opinatur, cùm non sit, qui etiam bellua est multorum capitum, qui deniq; suis ducitur cupiditatibus: quàm Patris reprehensioni submitti, cuius abundat in filios charitas.

Populo, ait Bucananus [a] quem Beza [b] præstantem, & maximi meriti hominem agnoscit, *ius est de sceptro Regni disponendi*

[a] *L. de iure Regni.*
[b] *Epist: 78.*

c In A- *ſponendi pro libito ſuo* [c] Anglus quidam Caluino [d] intimus, quē
pol: Goo- fratrem appellat. *Mali Principes,* ait, *ſecundum legem Diui-*
dm. d Epiſt: *nam deponendi ſunt: cumq; Magiſtratus officium negligit, tam*
306. *liberum eſt populo munus eius gerere, acſi nullus eſſet Magiſtra-*
tus: & eo tempore Deus populo confert vſum gladij. Idem Au-
thor, tempore Mariæ Anglorum Reginæ, Librum de Obe-
dientia inſcriptum edidit, Geneuæ excuſſum, & à Beza atq;
Caluino approbatum, in quo hæc verba leguntur: *Reges* [e]
e Goodm: in apol. *à populo ius regnandi habent, qui occaſione datâ illud reuocare*
poteſt.

Non eſt vobis ſatis Reges dicere exauthorari poſſe; lon-
gius proceditis, cùm coërceri, puniri, condemnari, & occi-
di poſſe docetis, eos quoq; præmijs eſſe afficiendos, qui hor-
renda illa, & execranda crimina admittunt. *Vulgus,* aiunt
f Oſian: in Epit: Wicleſi Sectatores, teſte Oſiandro [f] *pro voluntate ſua punire*
Cent: art: 17. *poteſt Principes peccantes.* Liber ille cuius modo memini
g Goodm: in Apol. tēpore Mariæ Reginæ Geneuæ impreſſus, hæc habet: [g] *Si*
Magiſtratus legem Dei infringant, cæteroſq; obligent vt idem
agant, & à dignitate, & ab obedientia ſibi alioqui debita exci-
dunt, neque vltra pro Magiſtratibus haberi debent, ſed accuſan-
di, examinandi, & condemnandi ſunt. Populus, ait Bucana-
h Bucan: de Iure. nus, [h] *Principem in ius capitis vocare poteſt. Optandum eſt,* ait
i Lib: de Iur: Reg. idem, [i] *vt præmia à plebe decernantur ijs, qui tyrannos occide-*
rint, vt fieri ſolet ijs, qui lupos occidunt.

Enimuerò quam in his abdicationibus formam ſerua-
tis? Nullam. Quòd Regibus à populo deijciendis ad reſi-
piſcendum tempus datis? Nullum. Seipſos veſtrâ opinio-
ne abdicant, cùm aliter ſe gerunt ac debent. Nihilq; reſtat
aliud,

aliud, nisi vt se illis opponat populus, & in eos insurgat. *Abdicant se potestate Principes*, ait Caluinus,[k] *cùm insurgunt contra Deum, imò indigni sunt, qui in numero hominum censeantur, ideoq́ in capita eorum potiùs conspuere oportet quàm illis parere.* *Si Principes*, ait quidam Author Scotus, quem Caluinus[l] virum insignem appellat. Beza Euangelij in Scotia instauratorem: quem Scoti omnes, teste Witakiero, fuisse Spiritu Prophetico, & Apostolico, præditum existimant. *Si Principes*, ait ille vir, vestro iudicio adeò commendatus, *aduersus Deum, & Veritatem eius, tyrannicè se gerant, Subditi eorum à iuramento fidelitatis absoluuntur.*

k In 6. Dan. ỹ. 22. & 25.

l Epist: 74.

Sed quæ causa ex vestræ disciplinæ præscripto, eos depositione dignos efficit? sola Religio? Nequaquam: sed aliæ pleræq; causæ, vitæ scilicet dedecora, vitiaq;. *Nullus est Dominus ciuilis*, ait Wiclefus[m] *nullus Prælatus, nullus Episcopus, dum est in peccato mortali.* *Principes*, ait Zwinglius[n] *possunt deponi, quando perfidè & extra Regulam Christi se gerunt*: quo, vt ipse ait, *sufficit si sceleratos prouehant, & innoxios prægrauent, & otiosos Sacrificos defendant*, (hoc est Catholicos) quod notandum.

m Apud Osian: in Epit. cēt: 9.

n In Explan: art: 42.

Quid vos de hoc genere sentiatis, ex innumeris Auctoribus possem ostendere, quòd etiam libentissimè agerem, si quod in eo argumento docetis, tam vobis esset opportunum, quàm est perniciosum. Satis mihi fuerit Lectorem enixè obtestari, vt librum cōsulat inscriptum, *Apologia Protestantium omnium*, qui à multis annis in lucem exierunt, vtilissimum: in quo multò plures inueniet in hanc sententiam locos: & inter alios quosdam etiam, quibus constat vestros

Hæretici propriâ authoritate deponendos esse Principes permittunt.

Scriptis

Scriptis mandaſſe, quòd Diuino & humano iure, liceat Reges impios interficere, quia id Verbo Dei conſentaneum ſit. Quod etiam priuatus quiſq; ſpeciali impulſu tyrannum poſsit occidere. Doctrinam vſquequaq; deteſtabilem, quæ nunquam Eccleſiæ Catholicæ in mentem veniet, ne per ſomnium quidem.

Neq; verò hæc dicta ſufficiunt, imò vbi veſtram expoſuimus, de Regibus deponendis, ſententiam, nunc quomodo vos erga Reges re factiſq; geratis, inſpiciendum eſt. Ex quo enim *Lutherus*, & *Caluinus*, errores veſtros per Orbem diſſeminârunt, nullum locum prætermiſiſtis, vbi illâ quam prætenditis, poteſtate vti poſſetis, quin vſi ſitis. Exercitus in Carolum Quintum conflaſtis, quem Carolum Gandauenſem, ludibrij causâ, dicebatis, vt ei in ditione ſua turbas ac tumultus excitaretis, eumq; de Imperio deturbaretis. Arma in tres Gallorum Reges mouiſtis, Frãciſcum II. Carolum IX. & Henricum III. Sub Carolo monetam alterius nomine percuſsiſtis, cui Regis nomen tribuebatis. Quomodo Mariam Scotiæ Reginam habuiſtis? nonnè captiuã tenuiſtis? nonnè in carcere, vt Regiâ ſe dignitate abdicaret, coëgiſtis? nonnè in Mariam Anglorum Reginam ter exercitus comparaſtis? nonnè prætenſam quandam Reginam in illam excitaſtis? An non vnus è veſtris, Sacrilegas in eam manus immiſit?

Surius A. 1547.

Hæretici contra Principes arma mouerunt.

Philippum Hiſpaniarum Regem, pluribus Prouincijs in Flandria exuiſtis. Chriſtiernus Danorum Rex, à veſtris ſuâ coronâ ſpoliatus eſt, Regno etiam pulſus, ac deinde in vincula coniectus, vbi deniq; , vt hominum eius temporis

opinio fuit, mortẽ illi veneno accellerârunt. SIGISMVNDVS qui nunc regnat in Polonia, coronâ sibi Hæreditario iure debitâ, quamq; sine controuersia Pater eius obtinuerat, se videt spoliatum, Patruo qui vestram profitebatur fidem, in eius locũ per vestros collocato. Transyluaniã sub Rudolpho Imperatore nuper defuncto, occupâstis; quâ ille iustissimo titulo tanquã Vngariæ Rex potiebatur. Et hæc omnia Caluini Prædecessoris vestri exemplo fecistis, qui Geneuensem Episcopum nunquam potuit, non dico vt Episcopũ, sed ne quidem vt Dynastã, ac Principem temporalẽ, sustinere?

Quisquis Historias legerit, quibus ea quæ refero continentur, cognoscet ille, vos vno & eodem, sine dubio, sæculo, duobus Imperatoribus tumultus excitasse: Regem vnũ re ipsâ Regno exuisse: alteri Regni sui aditum præclusisse: Regno alterum expulisse: Reginam vnam abdicâsse: alteri bellum intulisse, quò eam Regno spoliaretis. In quatuor Reges arma sumpsisse, alios Principes suis ditionibus expulisse: Regem vnum occidisse: piam & sapientẽ Reginam, captiuam fecisse, cuius erat captiuorum vincula dissoluere; quam deniq; cum Diuinis tum humanis legibus infractis, crudeli prorsus & digno lachrymis mortis genere è medio sustulistis. Hæc Richelius.

Regnũ spoliantur Reges ab Hæreticis.

I nunc Hulsemane cum tuis, & insultando euoca Catholicos ad disputandũ, de Potestate Summi Pontificis supra Reges, & obijciemus vobis quæstionẽ de potestate plebis supra eosdẽ Reges: ac contra cateruã calumniarũ, obijciemus cateruam veritatũ: Paternum Pontificum Regimẽ, contra seditiosum tumultuosæ plebis Subditorum frequens

& multiplex specimen: Petri gladium in vagina repositum, & nonnisi ad iusionem Domini expromendum, contra gladium furiosæ plebis, quâuis seditione specioso pictâ colore strictum, & euaginatum. Nec ad solos hæc ex Richelio Caluinistas spectare putes: Fratres enim estis: & iunctis hâc in parte contra nos viribus proceditis: & quod pleriq; illorum scriptis, hoc vos vt plurimum factis probatis. Ideóque licet maiori ex parte de Caluinistis loquatur Cardinalis, commune nihilominus crimen cum Lutheristis, vt videre est, prosequitur.

Imò nec ipsius quidem Lutheri Patriarchæ vestri mentionem facere omisit, sed meritò in eodem crimine ipsum inuoluit: vtpotè qui contra Principes non rarò insolens admodum fuerit, quos *Lib: de Potest: Sæcul. & Lib: de Libert: Christ. & alibi*, communiter vocat *maximè fatuos, maximos Nebulones, Carnifices, Christi interfectores, Herodes impios, tyrannos intolerabiles, Turcis peiores.* Et pientissimum Principem Georgium Ducē Saxoniæ, eò duntaxat, quòd damnatam suam doctrinam recipere noluerit, *Apostolum Antichristi, siue Sathanæ*, proprio suo detrahens titulo, appellauit. Et Henricum VIII. Angliæ Regem, priusquam suæ subscriberet hæresi, tam acerbo & atroci scripto perstrinxit, vt pleriq; etiam ex ijs, qui in eius dogmata concesserant, indignè ferrent Regem sic tractatū ab illo. Carolum V. contra Ambr: Cather: scribens, vocat *Turcam Baptisatum, Turcâ non Baptisato peiorem.* Hinc meritò & ipse Carolus V. Imperator, diligenter explorato, & probè perspecto ingenio huius Pseudoeuangelici, in edicto Vormatiæ A. D. 1521. edito, tale de ipso,

Lutherus qualis in Principes.

ipso, & suâ doctrinâ, tulit iudicium: *Obedientiam & regimen omne prorsus tollit.* Et rursum: *Populos ad rebellionem & defectionem à suis principibus, tam spiritualibus quàm temporalibus faciendam, prouocat.*

An non clarè admodum hoc innotuit per famosum illud olim Rusticorum bellum, quod illi authore & incẽtore Luthero suis Dominis intulerunt, occasione Pseudoeuangelij ab eodem Luthero prædicati, quo secundum libertatem Euangelicam, pares Dominos Subditis, & Subditos Dominis astruebat: omnem consequenter Subiectionem Potestatibus debitam tollens, & cõscientiam solius Euangelij obsequio adstringens. Propter quod & vulgare Rusticorum illorum Symbolum erat, quod & continuo ingeminabant: VIVAT EVANGELIVM; quasi pro integritate Euangelij (contra doctrinam Euangelij) aduersus Principes suos decertarent. Quamuis postmodum perditus Hæresiarcha, videns belli illius tristem nimis exitum, receptui caneret; turbas illas iam lenitate, iam rebellium sanguine, sedari suaderet; & nonnullos libellos populari linguâ contra eosdem Rusticos vulgaret; quò se innocentem probaret, suumque, & seditiosæ doctrinæ suæ errorem purgaret. At vano labore, prout notatus, & falsè derisus fuit ab Erasmo in Hyperasp: imò & confutatus ex proprijs ipsiusmet scriptis prioribus: quibus eum apertè conuicit, quomodo prætextu assertæ præposteræ libertatis Euangelicæ, omnibus illis tumultibus ac rebellioni causam & occasionem dederit. Professus quippe erat Lutherus *Libro de Liber: Christ:* omni studio se curaturum, imò & effecturum, *vt nec Ecclesia Christiana, neq*

Lutherus author belli Rusticorum.

Euangelium, vllum agnoſcat Magiſtratum; nec ſciat quidem quid Magiſtratus ſit. Hæc *mera hominum eſſe commenta*, comminiſcens, *meramq́ tyrannidem ad miſeros Chriſtianos vexandos, & ſeruitute opprimendos.* Quid plus ad excitandas rebelliones opus erat? Plura de his qui ſcire deſiderat, legat (nec pœnitebit) Florimundum *de Orig: Hæreſ: l. 3. c. 2.* vbi ex proprijs Lutheri, ſuorumq; ſcriptis & actis, tam luculenter ad oculum oſtendit, vt tergiuerſationi Aduerſarijs nullum relinquat locum, quantum nimirum ferox hæc ſecta à ſuo mox initio, nō modo contra Summum Eccleſiæ Antiſtitem, ſed etiam contra Imperatorem, Reges, omnemq; in vniuerſum Magiſtratum, tantâ feritate debachata fuerit, vt vix vlla alia Hæreſis ſimile quid vnquam ne dum deterius auſa fuiſſe legatur. Et tu adhuc cauſaris Hulſemane, grauem iniuriam, quòd te, tuoſq; homines, natura ſuæ Hæreſis (niſi aliud Patriæ ingenium ferat) ſeditioſiſsimos, tam patentibus vndiq; indicijs, tantaq; recens occaſione datâ, vel ſaltem ſuſpicemur, quod vtiq; eſtis?

Lutherani rebelliones excitant.

Nec queraris, me tantâ occaſione per te porrectâ, ea omnia tam fusè proſecutum fuiſſe, & mala quæ per veſtras Sectas ſuſtinent Principes longiori ordine recenſuiſſe. Quid enim? licet tuis, tibiq; præ alijs, paſsim in Libellis quos vulgaſti, opportunè, importunè, noſtros vocare Regicidas: obijcere illis proditiones, perduelliones, ignium ſuppoſitiones, & tot alia figmēta: nō licebit mihi promere Orbi nota? Tibinè hoc laudi erit, mihi crimini? Gaudet æquè, imò amplius, priuilegio libertatis calamus Catholicorum, geſta veritatis referre, quàm hæreticus commenta confingere.

CAPVT XVII.

Declaratur Hulsemano, nullam illi amplius ad sua Replicam dandam: idq; duabus de causis: primò, ad euitandam contentionem; secundò, ad excusandum vanum laborem; eò quòd scripta eius nil habeant solidi.

HActenus Hulsemane retuli, quid mihi negotij tecum intercesit; & quâ occasione Satisfactionem meam porrexerim. Eiusdem insuper Satisfactionis meæ firmam, vt reor, contra te, tuasque obiectiones factas & faciendas, Apologiam opposui: quæq; in eadem Satisfactione refutasti, vel deinceps refutare poteras, dissolui. Nunc superest vltimam tibi mentis meæ declarationem aperiam. Si postquam à me his satisfactum est tibi, non tamen adhuc tibi satis dictũ videatur, vt ea quæ hic attuli, tuo, vel si hoc dedignaberis, supposititio alterius nomine, refutare, imò impugnare volueris, licet si libet: at nullum amplius à me responsum expectes in hac materia. Ego enim iam satis feci tibi, tuisq; instantijs. Si tu non satis dixisti, parum moror. Palmam dicacitatis si mihi gestias præripere, gaudebo, non inuidebo. In hoc genere victor esse non contendo, lubens vel ante ipsam pugnam, victoriam tibi cedo.

Vnum ex tribus, in tuo quod esses exhibiturus scripto, forè conijcio: vel ad mutuam tecum contentionem, & per Scripta concertationem euocare voles: vel ea quæ attuli improbabis & confutabis: vel solito more tuo conuicijs &

 maledi-

maledictis me onerabis. Si primum: oppono tibi verba Apoſtoli: *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neq; Eccleſia Dei.* Satisfactionem requiſijſti, ſatisfactionem recepiſti. Satisfactionem improbaſti, pro Satisfactione Apologiam habuiſti: ſi nec hîc quidem adhuc quieueris, vltimum in dicendo & replicando te fuiſſe gratulabor. Mihi porrò non eſt animus vltra reſpõſis tecum certare, ſed vtilioribus potiùs tempus impendere.

1. Cor. 11. *Contentiones in Eccleſia ſunt vitandæ.*

Si verò ea quæ attuli improbare, & confutare tuo Scripto volueris: nec hîc quidem adhuc neceſsitatem mihi reſpondendi, imponẽdam fore arbitror; idq; ex duplici capite. Primò, quod ſim certus te non poſſe quicquam noui adferre, cui non iam & Satisfactionis, & præſentis Apologiæ ſcripto ex integro ſit ſatisfactum; quod quidem taliter curaui formare, vt omnium inſtantiarum tuarum impetus frãgerem. Quicquid proinde obieceris, præſentem hîc inquire ſolutionem. Si in contrarium aliquos alios Authores, vel Hiſtoriographos adduxeris: mihi ſufficiunt, vel iſti quos aduocaui, ne temerè videar fuiſſe locutus. Si quid in acceſſorijs non conſonat, mihi ſufficit vt principale intentum ſubſiſtat.

Deinde ex alio quoq; capite nullam mihi reſpondendi neceſsitatem futuram ominor; eò quòd nihil te ſolidum contra me poſſe depromere arbitror, idq; ex tuis Scriptis facilè conijcio. De quibus enim, quæſo, illos cum quibus decertas, confutare ſoles? pudet referre: nec tamen pudebat te in medium adferre. In Præfat: Animaduerſ: graue crimen Hieronymo Plato obijcis, quod dixit: *abſcederunt*, pro *ab-*

pro *abscesserunt*: quasi viri eruditi puerilia hæc inter se obseruent, & cẽsurent, quæ casu, aut errore Typographi irrepunt: sicut & variatio quãdoq; numeri in citationibus: ex quibus plura apud te quoq; notanda, ad Scholas sagacioribus nostris Grammaticis, aut certè otiosis hominibus remittimus. Quàm impertinens, & illud quod Hagero *in Manuali fol: 655.* obijcis, illum in Confessionis verbis quinquies à prototypo discessisse. In quo quæso? scilicet immutauit Hagerus verbum: *his*, pro *ijs*. Aliqua etiam verba transposuit, aliquas voculas omisit: vtiq; tanti momenti fuisse puto hæc omnia, tamq; variantia sensum, quantũ variauit hoc, quod *his*, posuit pro *ijs*. Similes frequenter in decursu Colloquij nostri scrupulositates, vel potiùs morositates tuas, magna cùm molestia, nec minori iactura temporis experti sumus. De his, & huiusmodi, tecum ego postmodum replicando certare debeam, quæ vt plurimum vel Amanuensium, vel Typographi incuria, summa etiam adhibita diligentia incidunt? quis has nugas, & pueriles leuitates, in viro barbato ferat? An non huiusmodi errores, multoq; plures, in ipsis tuis libellis, homines otiosi deprehenderent, & reprehenderent?

Hulsemani leuitates, in cẽsurandis nostris.

Iam si reliquam substantiam (si tamen quid substantiale contines) in tuis considero Opusculis; tuas rationes, quibus contra Catholicos aliquid probas, tam elumbes video, vt magis illæ spernendæ quàm soluendæ videantur: pleræq; ex illis melioris apparentiæ, iam anteà nostris Doctoribus abundè solutæ & excussæ, passim reperiuntur; vt nil nisi reliquas paleas pauper homo adferas. Vbi verò nostrorum rationi-

De Hulsemani scriptis cẽsura.

rationibus reſpondes, quàm friuolas & futiles ſolutiones adhibes? Familiaris vt plurimum tibi ſolutio, vel potiùs euaſio, cùm alia non ſuppetant, per liberè obiectum non probatum, mendacium, per obiectam ignorationem Elenchi, vel petitionem principij, ſiue id appoſitè, ſiue minùs appoſitè fiat.

Eccleſ: 9. Exemplo rem illuſtrabo, ne tibi imponere videar. In Animad: *fol: 104. & ſeq:* agis contra Bellarminum defendentem verſionem vulgatam illius loci: *Neſcit homo vtrum amore an odio dignus ſit?* Et inprimis quâ fide illic aſſeris Ieſuitam, id eſt Bellarminũ, *concedere loci huius vitioſam verſionem eſſe, ob defectum conformitatis cum Hebræo textu, quoad verba, eſto quoad ſenſum ſit conformis?* tu videris. Tandem cùm fatearis ipſe, S. Hieronymum quem allegas, verſionẽ hanc retinere, eſto illam ad particularem caſum, & tempus tribulationis fruſtra reſtringas, (de quo iam ſuprà confutatus es) nihilominus & crimen falſi, & malam fidem obijcis Bellarmino, Hieronymum alleganti. Demum proſequens ruinoſum tuum diſcurſum, poſtquam dixeras Bellarminũ hunc locum non de homine in abſtracto, vel de homine impio, ſed de homine iuſto interpretari: ſubijcis: *Sed hoc friuolum eſt. Homo enim vox generica, diſtribuitur mox verſu ſequ: in iuſtum & impium, bonum, & malum,* &c. *Tum petit principium hæc exceptio. Nam apud Papiſtas ideo ignoratur amor Dei, quia homo ignorat, an ſit ipſe pius an impius? Etenim ſi alterutrum ſciret, ſciret quoq; amareturnè à Deo? an non? Igitur pius omnino ſcit amari ſe à Deo, etiam ex Papiſtarum ſententia.* Omitto plura tua impertinentia quæ hîc inuoluis,

Hulſemanus iniquè crimẽ falſi obijcit Bellarmino.

tam non

tam non consona, imò tam dissona à textu Scripturæ: Cur enim non potiùs de iusto loquatur Scriptura, cùm de iustis tantũ præcesserit ibidẽ Sermo: *Sunt iusti atq; sapientes?* &c. Cur secundum posteriora, de homine genericè intelligenda sit Scriptura, eò quòd postmodum deuenerit ad specificationem iusti, & impij: probando vtiq; de iusto, quòd nesciat se amari à Deo, *eò quòd vniuersa æquè eueniant iusto, & impio?* Vim tuæ Logicæ pro nũc attendo. *Bellarminus petit principium suâ exceptione, locum Scripturæ de homine iusto explicans.* Hoc dixisti. Da probandi. *Nam apud Papistas*, inquis, *ideo ignoratur Amor Dei, quia homo ignorat, an sit ipse pius, an impius? Igitur pius omninò scit amari se à Deo, etiam ex Papistarum sententia.* Infer vlterius: hoc enim tibi potissimùm iam incumbit probandum. *Ergò Bellarminus petit principium.*

Deinde insulsè petitionem principij eidem imponit.

Spectatum admissi risum teneatis amici.

Scisnè tu Hulsemane, quid sit petitio principij, vel vbi illa obijcienda, aut quomodo probanda? Dubito valde. Tunc es ille gloriosus Logicus, qui disputationis strepitum adeò in hoc Colloquio vrgebas? Omnia puto Argumenta nostra, vnica solutione hac expediturum te putabas. *Est petitio primi principij.* Prætereanè nihil? *Est ignoratio Elenchi*; adderes. Restaretnè adhuc aliquid? *Mentitur Papista.* Hic omne iam Hulsemani exhaustum armamentarium. Sed & quid ineptiùs deducere poteras, quàm ex tali antecedenti, tale consequens? Istæ sunt tibi demonstrationes, quibus de Papistis, vt vocas, sæpè frustra triumphas, & ad hominem eos conuincere putas. Vnus è nostris scholaribus, qui vel primo limine Summulas Logicales salutauit, tuas

Hulsemanus quam leuiter nostrorũ soluit rationes.

iſtas exploderet, an irrideret argutias? Diceret enim Antecedens, quod fruſtra probas, concedo. Conſequentiam ad hominem ex hoc antecedenti, non minùs quàm baculum in angulo, colligis. Appone alteram præmiſſarum,& integrum forma Syllogiſmum, videbiſq; quid tua valeat conſequentia, & quàm nullatenus ex noſtra ſequatur ſententia.

Syllogiſmus,porro in planis terminis hic erit,ſuppoſito tuo antecedenti, & conſequenti. *Ideo ignorat homo ſe amari à Deo, quia ignorat ſe pium vel impium. Sed qui pius eſt, ſcit ſe eſſe pium. Ergo qui pius eſt, ſcit ſe amari à Deo.* Hic conceſſa maiori, negabitur in ſententia Catholicorum Minor. Negata verò minori, nulla erit tua conſequentia, quam nõ ſubſumpta Minore, tanquam irrefragabilem male inferebas: vltra aliud vitium fallaciæ, quod latebat in argumento, quando ab homine ignorante an ſit pius? in antecedenti, proceſsiſti abſolutè ad hominem pium in conſequenti. Quid verò de altera illa principali conſequentia, qua obiectam petitionem primi principij inferre debebas, fiet, ex toto antecedenti, adeò impertinenti, quod aſſumpſiſti?

Cæterũ, quis neſciat, quòd aliqua propoſitio controuerſa ſine vitio Petitionis primi principij, probari poſsit authoritate Scripturæ Sacræ, eandem propoſitionem ijſdem verbis exprimente: vel certè quòd ipſa authoritas allegata, ex antecedentibus, & connexis, ad eum ſenſum, quem requirit Propoſitio probanda, trahi poſsit; vt in præſenti contingere docui, cùm oſtendi ex antecedentibus prædictam authoritatem loqui de iuſto, prout propoſitio Bellarmini probanda poſtulabat. Si hoc eſt petere principium, quis

vnquam ex Authoritate arguendo, non petet primum principium?

CAPVT XVIII.

Amplius ex suis scriptis deducitur, quomodo nil solidè prosequatur: vt proinde non mereantur sua responsum.

LIbet adiungere aliud specimen tuæ eruditionis, vt palam mundo constet, quàm temerè abusus fueris calamo in tuis lucubratiunculis. In ijsdem Animaduersionibus tuis, contra Bellarminum, *fol: 57.* dum conaris infringere Canonem Sacrorum librorum, quem non modò ex determinatione Concilij Tridentini, verùm etiam ex præscripto antiquissimi Concilij Carthaginensis tertij, recipit Catholica nostra Ecclesia; quò authoritatem eiusdem Concilij Carthaginensis hâc in parte eleuares, duo obijcis. Vnũ est, Concilium hoc etiam librum Esdræ 3. & 4. in hoc Canone computare, quod non faceret, si *Caconicum* propriè & paronymicè sumpsisset. Alterum quod dicis, est, Concilium hoc, *à Papistis ad inferos damnari quod Canone 26. vetet, Romanum Pontificem, dici Principem Sacerdotum.* Vtrumque tam pingue & crassum mendacium, vt mirum sit, quod pondere suo tuum, alioqui leuem libellum, ad inferos non depresserit, multò veriùs quàm à nobis Concilium tertium Carthaginense inferis aliquando deuoueatur.

Quoad primum quidem: te per omnia Sacra obtestor, vbi vnquã reperisti in Canone Cõcilij tertij Carthaginensis,

reponi tertium & quartum librum Esdræ? Remitto quemuis Lectorem ad Acta eiusdem Concilij: nec sit illi, quæso, graue, videre locum, & imposturam tantã Hulsemani, manu palpare. Inspiciat vel ipsum ab eo ibidem allegatum Binium, *Cap: 47.* & in alterâ Editione ibidem subiunctâ, cũ Græco textu, *Cap: 24.* nec reperiet plures quàm duos duntaxat libros Esdræ connotatos. Monstra Hulsemane aliud quodpiam exemplar, at non suspectæ fidei, sed quod vel Originali constet esse conforme, vel saltem communiter circumferatur; & crimen in me reuoluatur. Sin minùs: remanebis cũ nota mendacis multò æquiùs, quàm illi, quibus eam sæpiùs licentiosè affigis.

Hulsem: verba Cõcilij malè ad alium sensum trahit.

Omitto interim ineptam tuam tuorumq; solutionem, quâ Canonem illum interpretamini, non in ordine ad dogmata fidei comprobanda confectum, sed in ordine ad ea quæ posṡint sub nomine Diuinarum Scripturarum legi in Ecclesia: quæ explicatio vestra tam absona & repugnans ipsi textui videtur, vt ea posita, nil nisi meram nugacitatem sonarent verba Concilij, tam alias clara, quòd nonnisi proteruiâ hæreticâ ad alium sensum trahi posṡint. Dicit enim Concilium: *Placuit vt præter Scripturas Canonicas nihil in Ecclesia legatur sub nomine Diuinarum Scripturarum. Sunt autem Canonicæ Scripturæ, Genesis, Exodus,* &c. Sectarij dicunt: Sensum esse Concilij, *Scripturas Canonicas* vocari, *Scripturas legendas in Ecclesia.* Sensus ergò erit Concilij secundũ ipsos: *Placuit vt præter Scripturas legendas in Ecclesia, nihil legatur in Ecclesia.* An non hæc mera nugacitas? An non ibidem additum est: *sub nomine Diuinarum Scripturarum?* An non

his Ca-

his Canonicis Scripturis ibidem tanquam contra distinctæ adiunguntur *Paßiones Martyrum*, in Ecclesijs quoque legendæ?

Sed pergo ad alterum quod dicis, Concilium hoc tertium Carthag: quod scilicet Canonem illum scripturarū cōfecit, *à Papistis ad inferos damnatur, quod Canone 26. vetet, Romanum Pontificem dici Principem Sacerdotum.* Et mox subiungis. *Quapropter Bonifacius Papa II. Epistola 2. ad Eulalium ait, quod Aurelius Carthaginensis Episcopus, & Collegæ eius, in hoc Concilio (B. Augustinus, Alipius, &c.) instigante Diabolo superbire cœperint contra Romanam Ecclesiam. Apud Binium, Tom: 2. Concil: part: 1. fol: 644.* Hæc tu. Papæ! quid tui Lutherani dicent? Lætum Pæana victori de Papistis canent: coronam triumphalem portabunt: Io acclamabunt. Ipsos inter se Papistas digladiantes produxisti: nec quemcunque, sed ipsum Summum Pontificem Bonifacium Papam II. Concilium illud Carthag: Aurelium cum suis Collegis, specifica (si superis placet) Augustinum, Alipium, &c. velut instigante Diabolo superbientes contra Ecclesiam, damnasse, diris deuouisse: nec hoc quidem vnus è castris Lutheranorum testatur, aut obscurus quispiam Author ex nostris, sed nominatus & celebris Binnius, qui tot voluminibus omnia Concilia Generalia & Prouincialia, summo studio collegit. Audistis hæc viri Lutherani, & causam in vestro Hulsemano euicisse putastis. At suspendite adhuc tantillum Organa in salicibus, & gloriosum Hulsemanum, mox confusionis spectaculum exhibebo vobis.

Concilium Carthag: falsò à nostris damnatum asseritur.

Atq; vt omittam leuiora, de quibus non est mihi ani-

Conuincitur Hulsemanus falsi. mus tecum Hulsemane contendere : falsum est imprimis & ingens mendacium, quod vnquam Catholici damnent, hoc tertium Concilium Carthaginense: imò maximè venerantur: Falsum est quod ab aliquo Pontifice fuerit damnatum, imò potiùs à Leone IV. *d. 20. De libellis*, approbatum est. Falsum est quod Concilium illud *Can: 26.* vetet, Romanum Pontificem dici *Principem Sacerdotum*, cùm nec minimũ iota de Romano Pontifice contineat ille Canon: Qui sic habet: *Vt primæ sedis Episcopus, non appelletur Princeps Sacerdotum, aut Summus Sacerdos, aut aliquid huiusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.* Quod de Romano Pontifice nequaquam intelligitur, sed de Metropolitano duntaxat illius Prouinciæ, qui vulgò apud nos vocatur, *primæ sedis in sua Prouincia Episcopus.* Cùm enim Concilium hoc non fuerit Generale, sed tantum Nationale (vt constat) non modò toti Ecclesiæ, non poterat præscribere leges, sed nec vni alteri Prouinciæ.

Quos Statuta Concilij Prouincialis obligant. Esto namq; quantum ad dogmata fidei attinet, quæ in aliquo Prouinciali Concilio stabiliuntur siue declarantur, tanquam dogmata fidei, accedente Summi Pontificis confirmatione, in tota vbiq; Ecclesia pro dogmatibus fidei sunt tenenda (non enim licet apud nos quemadmodum apud Sectarios, alia dogmata fidei in vna Prouincia, vel Ciuitate, alia in aliâ profiteri) cuius vtiq; generis est Canon ille Diuinarum Scripturarum à Concilio Carthag: recensitus, quẽ nihilominus Concilium ibidem se à Patribus accepisse, non primùm formasse asserit. Quantum tamẽ attinet ad mores (ex quo genere fuit illud eiusdem Concilij: ne primæ sedis

Episcopus in illa Prouincia hoc vel illo vteretur titulo) quod in aliquo Concilio Prouinciali sancitur, non protinus alias Prouincias (multò minùs ipsum Summum Pontificem) obligat, licet ab ipso quoq; Summo Pontifice approbetur, quia nonnisi pro illa Prouincia approbatum censetur vbi statuitur. Horum quippe varietas cum inuariabili doctrina fidei subsistit.

Sic itaq; Concilium Prouinciale Episcoporum Africanorum, nequaquam præsumpsit legem ponere alijs Ecclesijs, vel illarum Episcopis, multò minùs ipsi Papæ, quò nimirum tali vel tali titulo non vteretur. Potiùs Siricius Papa ipsis Africanis sub pœna excommunicationis præcepit, decreta Concilij Romani obseruari, vt habet Baronius A. D. 396. & Collectio Regia Conciliorũ Parisijs A. D. 1644. impressa, *Tom: 2. fol: 521.* Quî ergò Africani præcipienti sibi, præcipere, vel legem ponere potuissent? Sed hoc Argumentum Sectariorum ab Authoritate huius Concilij contra Primatum Romani Pontificis bis coctum: iam antè à Caluino *lib: 4. Instit: cap: 7. §. 3.* propositum, & à Bellarmino *Tom: 1. lib: 2. de Rom: Pont: cap: 31.* sufficienter solutum: & ipse Canon, à Binio ibidem abundè explicatus; vt nil nouum attulerit Hulsemanus, quod tanto cum apparatu visus est adduxisse.

Sed illud, inquis, est nouum quod attuli ex Bonifacio II. In tuam miser attulisti confusionem. Imprimis enim in referendo textu graue crimen falsi commisisti, quod non tam facilè elues: tu enim sic refers textum Epistolæ Bonifacij II. ex Binio. *Aurelius Carthag: Episcopus, & Collegæ eius, in hoc* *Rursum falsi conuincitur Hulsemanus.*

in hoc Concilio (*B. Auguſtinus, Alipius,* &c.) Apud Binium verò ſic habet Epiſtola prætenſa Bonifacij II. *Aurelius præfatæ Carthaginenſis Eccleſiæ olim Epiſcopus, cum Collegis ſuis:* traniéat verborũ per te variatio ſubſtantiam rei non varians: ſed illud hæreat, non tranſeat, quod ineptè admodùm addidiſti intra parenteſim *Auguſtinum, Alipium:* ad odium ſcilicet Summi Pontificis eos damnantis: ineptè inquam, vt mox patebit. Proſequeris tu deinde: *Inſtigante Diabolo ſuperbire cæperunt contra Romanam Eccleſiam.* Binius porrò ſic habet: *Inſtigante Diabolo ſuperbire, temporibus Prædeceſſorũ noſtrorum, Bonifacij atq; Cæleſtini, contra Romanam Eccleſiam, cæpit.*

Eiusdem dolus. Hic paucis te volo Hulſemane. Quid myſterij, aut conſilij, quod tu ex textu prætenſæ Epiſtolæ Bonifacij à Binio allegatæ, omiſeris illa verba: *Temporibus Prædeceſſorum noſtrorum, Bonifacij atq; Cæleſtini?* Videat mundus & iudicet dolum, quem abſcondit Hulſemanus. Concilium Carthaginenſe tertium, de quo hactenus erat ſermo, & in quo Canon ille 26. ab Hulſemano allegatus, de non vſurpando à primæ ſedis Epiſcopo titulo, Principis Sacerdotum; celebratum fuit temporibus Siricij Papæ, non Bonifacij & Cæleſtini: Sub his enim Concilium eiuſdem nominis Carthaginenſe, non tertium, ſed ſextum celebratum fuit, in quo de hoc titulo ne iota quidem extat. Reuoco Lectorem ad omnes Chronologias, & imprimis ad ipſum Binium ab Hulſemano aduocatum; qui initiò vtriuſq; Concilij, tempora horum Pontificum præfixit. Hinc quippè euidenter, & luce meridianâ, clarius conſtat textum Epiſtolæ prætenſæ Bonifacij Secundi, nullatenus referri ad illũ Canonẽ 26.

Conci-

Concilij Carthaginẽsis tertij, nequaquam temporibus Bonifacij & Cælestini celebrati. Quâ fide igitur Hulsemanus omisit ex Epistolâ præfatâ Bonifacij Secundi illa verba, iam facile est colligere; magisq; adhuc ex sequentibus patebit.

Sed forsan Hulsemane, deceptus es in eadem Concilij Carthaginensis appellatione: non interim satis bene numerando Concilia eiusdem nominis: quod facile crediderim: vtpotè qui magis versatus sis in Cathechismo Martini Lutheri, vel in Smalcaldicis articulis, quàm in Sacrosanctis Ecclesiæ Concilijs.

Minus insuper peritũ historiarum te ex omni parte probas: Prætẽsa enim Epistola Bonifacij Secundi dicitur fuisse conscripta, non occasione illius Canonis 26. Concilij tertij Carthaginensis, sed occasione cuiusdam reconciliationis Ecclesiæ Africanæ cum Sede Apostolica, post diuturnũ schisma factum, propter inuisum modum prosequendæ appellationis ad Ecclesiam Romanam. Ita ibidem Binius: & in Collectione Regiâ impressâ Paris: *tom: 11. fol: 83.* & passim apud Historiographos: qui tibi vidẽdi prius erãt, quàm temerè effutires, quo tuam in rebus Historicis magnam probares imperitiam; vtinam vel non malitiam. *Idem Historiarum imperitus.*

Nam vltimò tandem gradatim à te inquiro, vnde tibi constat, Papistas Concilium tertium Carthaginense ad inferos damnâsse, ob Canonem 26.? Ex Epistola, inquis, Bonifacij Secundi ad Eulalium dicentis: *Aurelium & suos Collegas (Augustinum, Alipium, &c.) instigante Diabolo, cæpisse contra Romanam Ecclesiam superbire.* At in hoc, (vt iam visum) turpiter errasti. Nihilominùs, inquies, Bonifacius

Secundus, si non in hac, in altera saltem occasione, impeditæ videlicet appellationis ad Romanam Ecclesiam, Aurelium, Augustinum, Alipium, &c. conqueritur, *Diabolo instigante, superbisse contra Romanam Ecclesiam.* Hoc etiam vnde tibi constat? inquiro. Ex Binio, inquis, referente suam Epistolam.

Itanè ex Binio referente hanc Epistolam, vis nos conuincere, vel saltem occasione impeditæ appellationis ad Romanam Ecclesiam, *Aurelium, & suos Collegas, Diabolo instigante, contra Ecclesiam Romanam superbisse?* Atqui idem Binius refert etiam multa Conciliabula, & detestabiles errores in illis contentos: de ijsdem ergò nos quoq; volueris arguere, eò quòd referuntur à Binio? Referuntur quidem, sed mox etiam vt Conciliabula refelluntur. Ita planè & hæc Epistola sub nomine Bonifacij Secundi refertur à Binio, sed mox ab eodem ibidẽ, & iterum *Tom: 1.* (quo sese refert) circa Concilium Carthag: 6. verbo, *Concilium. Parte prima, fol: 29.* fusissimè & solidissimè refellitur, tanquam commentitia, spuria, falsò Bonifacio Secundo assuta, mendacijs plenissima, mendacissimè imponens Schisma, illo tempore, Ecclesiæ Africanæ ab Ecclesiâ Romanâ, & Sede Apostolicâ: quod multipliciter, & efficaciter, ac penè ad oculum probat Binius vtrobiq;: quæ fusiùs recensere non est mei propositi: eò remitto Lectorem.

Epistola sub nomine Bonifacij supposititia.

Sufficiat hæc ex primo Tomo loc:cit: adducere, quibus longiorem suum discursum probationesq; sic concludit: *Impostorem itaq; & mendaciorum frigidum concinnatorem, callidumq;, veteratorem esse oportuit, qui Epistolam pluribus men-*

A Binio refutatur.

bus mendacijs scatentem, nomine Bonifacij Secundi ad Eulalium aliquem Alexandrinum Episcopum tempore Iustini Imperatoris, mendaciter scriptam excogitauit: vt scilicet agmina Sanctorum Africanorum Martyrum & Confessorum (qui pro fide Catholicâ in persecutione Vandalica magnâ gloriâ certantes, atq; agonem summâ patientiâ consummantes, Martyrij & Confessionis palmam consecuti sunt) albo Catholicæ Ecclesiæ expungeret. Nam si integro ab hinc sæculo, nempè à Bonifacio Primo vsq; ad Bonifacium Secundum, Africana Ecclesia in Schismate perseuerauit, nihil est, vt interea aliquis legitimâ coronâ Martyrij impartiri, vel in aliquo Confessionis præmio munerari potuerit: cum Cypriani, & Augustini, Africanorum Episcoporum, sententiâ, certum exploratumq; sit, nullam posse esse Schismaticorum coronam & præmium, quia non dantur nisi illis qui in Ecclesiæ Catholicæ stadio legitimè certârint. Hæc Binius (allegato etiam Baronio) de Epistola nomine tenus duntaxat Bonifacij Secundi, re autem impostoris cuiusdam, frigidi mendaciorum concinnatoris, callidiq; inueteratoris. Sic Binium in te retorqueo Hulsemane: contra quæ, nisi æquè solida & euidentia reposueris, nihil facis: æquo cuiusuis Lectoris iudicio succumbes. Cauillationibus & conuicijs hîc nequaquã euades.

Nunc porrò liceat tecum expostulare. Quâ fide res fidei tuæ agis & auges tanto apparatu mendaciorum, tantâ congerie falsitatum, authoritate deniq; impostorum, mendaciorum concinnatorum, callidorumq; inueteratorum: hoc enim est testimonium allegati à te Binij, de spuriâ illa Epistolâ Bonifacij Secundi; quam etsi ille retulerit, mox tamen & improbauit, & Authorem alium quempiam impostorem

Hulsemanus es fidei mendacijs cõprobat.

ſtorem indigitauit: Tu verò quâ conſcientiâ hoc ſubticuiſti, ſi docere & non fallere voluiſti? Cur Binium referentem, & non refutantem adduxiſti? Scilicet vt animabus Diabolicâ fraude deceptis, maiorem fucũ offunderes, & in hæreticis erroribus ampliùs firmares.

Miniſtri animarũ ſeductores.

Vos, ô miſeros, & omni commiſeratione dignos homines Sectæ Lutheranæ, compello. Miſeremini vel ipſi aliquando ſupra veſtram cœcitatem, & cœcos duces nolite ſequi, ne ambo iuxta ſententiam Domini in foueam cadatis. Expergiſcimini quandoque, & videte quomodo Pſeudodoctores & pſeudopaſtores veſtri, qui non per oſtium intrant (legitimâ ſcilicet miſsione) ſed aliunde aſcendunt ad vos, veſtrâ de ſalute ludunt, & illudunt vobis. Videte inquam, quâ fide, & ſinceritate, tractant negotium Chriſti, & pretioſam ſalutem animarum veſtrarum Chriſti ſanguine redemptarum. Intelligite tandem ſemel, & ſcitote, quibus credidiſtis depoſitum animarum veſtrarum. Et per Sancta teſtor, quod ſæpius ipſe manibus palpaui, tunc quãdo eiuſmodi producunt, quæ maiorem videntur pro firmandis ſuis erroribus habere apparentiam, maioremque vim conuincendi, & ab Eccleſiâ noſtrâ Catholicâ vos alienandi, tunc inquam maiorem vt plurimum vafriciem & dolum latere, remq; ad decipiendos incautos, Hæretico artificio inſtructam, ſubeſſe: quod pluribus, ſi intra mei propoſiti cancellos liceret, monſtrarem ad oculum, ſicut de hoc particulari caſu feci: & de alijs, plures ex noſtris fecerunt; ſerpentes ſcilicet iſtos, ex ſuis producentes in lucem latibulis. Crimine ab vno, diſcite omnes.

Ad te rurſus Hulſemane, ſermo meus reuertitur, quo ad præſens volui monſtrare, qualia ſint tua, quamq; futilia, & tam apertis ignorantijs & mendacijs referta, vt non videantur digna reſponſis, ſed ipſa ſuorũ mendaciorum mole vltrò corruant. Peperciſſes vtinam chartæ, nec talibus eam occupaſſes: Parcant ſaltem alij, & melioribus ſeruent, quàm vt hæc tua ex profeſſo confutent: quod nec puto facturum aliquem niſi tempus fallere, & bonas velit perdere horas: Quas ego certè ſimilibus tuis contra me ſcriptis, vel reſponſis confutandis non impendam: ideoq; fidenter dixi, & non temerè ominando protuli, nullam mihi ex hoc capite futuram reſpondendi neceſsitaté. Iã enim exploratas habẽs ingenij tui vires, ex hiſce tuis, quos citaui, libellis, permittam quicquid contra me euulgaueris, à ſeipſo refutari.

CAPVT XIX.

Tertia ratio proponitur, cur illi nequaquam ſit reſpondendum: quia nimirum maledictis aliorum, minimè deceat moueri; multò minùs illis reſpondere.

VLtimum deniq; quod in tuo cõtra me reſponſiuo ſcripto poſſum expectare, eſt, immenſam farraginem, & inſignem conuiciorum apparatum. Hic enim eſt ille tuus Stylus, quem vt aliâs in Superioribus oſtendi, velut proprium vbique retines: hi ſunt illi flores, ſed graueolentes, quibus tuos paſsim reſperſiſti libellos, parùm modeſtis & honeſtis, mordacia & biliosa; ſcurrilibus, conuiciosa; licentioſis, calumnioſa intermiſcens, *Hulſemani ſtylus,*

Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis.
Tuq; Styluſq; tuus.

Di-

Dixeras alicubi *in Manuali fol: 950.* contra Hagerum: *Ieſuita nihil diſputat, ſed papyrum maculat:* hoc potiori iure contra te retorqueo. Ille enim diſceptationibus Theologicis & rationibus, ſtrenuè hæreſim prementibus, non maculauit ſed exornauit papyrum. At æquus iudicet arbitror, num tu ſordidis tuis dicterijs & cauillis, non potius maculaueris chartam, quæ amplius ſub tuo gemuit ſtylo, quàm ſub prælo. Sanè ſi quid rei inſenſibili ruboris ineſſet, de his erubeſceret, quibus tu eam inficere non erubuiſti.

Si itaq; eundem ſtylum tuum acutum, contra me retorſeris, ſcias imprimis me talibus minimè mouendũ. A te non horreo conuicijs onerari, à quo vel laudari nolim. Veſtra, Hulſemane, laus pulchra, enormis noſtra macula: è contrà veſtrum vituperium, noſtrum eſt encomium: veſtra conuicia, noſtra ſunt elogia,

Hæreticorum conuicia, ſũt noſtra elogia.

Iudicium recti diſplicuiſſe malis.

Pulchrè in rem meam, magnus ille ex Gentilibus, morum Magiſter Seneca, *Lib: de Rem: fort:* diſſeruit: *Male,* inquit, *de te loquuntur homines? ſed mali. Mouerer, ſi de me M. Cato, ſi Lælius ſapiens, ſi alter Cato, ſi duo Scipiones iſta loquerentur. Nunc malis diſplicere, laudari eſt. Non poteſt vllam authoritatem habere ſententia, vbi qui damnandus eſt, damnat?* Hinc & Antiſthenes laudatus, ab improbis expauit, & diligenti mox examine ſeipſum diſcutiens, ſubiecit: *Quid enim mali feci?* Ita & nos à vobis, non dico malis, non dico improbis, (ne verbum ſit offenſæ) ſed probæ fidei, & Religionis noſtræ Aduerſarijs laudari, ſuſpicio eſt criminis: è contra Criminari, laus eſt virtutis. Nec ideo vobis con-

bis conuiciantibus irascendum; sed magis censemus compatiendum; eo titulo, quem indicat præfatus Seneca, sic prosequens: *Malè de te loquuntur? Mouerer, si iudicio hoc facerent; nunc morbo faciunt. Malè de te loquuntur? benè nesciunt loqui. Faciunt, non quod mereor, sed quod solent. Quibusdam enim canibus sic innatum est, vt non pro feritate, sed pro consuetudine latrent.* Hæc ille: contumeliam ex similitudine canis ad integritatem textus adductam, à vobis remoueo: consuetudinem vobis amouendam relinquo.

Consuetudinem voco: verè enim adeò vobis Lutheranis innata est conuiciandi & calumniandi libido, vt nihil ferè in controuersiâ Religionis contra nos agere, vel scribere possitis, quod non sexcentis conuicijs & maledictis sit refertum & infarcinatum; idq; tam fœcundo calamo, vt libeat etiam vltrò conficta & excogitata adiungere. Quod ingenium vestrum vel hâc ipsa occasione huius Charitatiui Colloquij persæpè palpauimus, dum ex Ciuitatibus vestris, sumptis Thorunij primis informationibus, tot per Orbem sparsi sunt rumores chartis exarati, cum adeò falsis & detortis relationibus de nobis Catholicis, & progressu huius negotij, vt mirari non sufficeret animus, eam frontem homines assumere, vel magis sic frontem perdere posse, quòd talibus orbem impleant, de quibus aliter ibidem visis, in facie orbis erubescere oporteret. Hoc autem non efficit aliud, quàm ingens quidam pruritùs, vobis profundè insitus, calumniandi & conuiciandi Catholicos: quasi causam vestram non possitis vnquam exhibere speciosam, nisi illam fœdis erga nos calumnijs & conuicijs exornetis. Ille apud vos excellentior, qui in hoc genere ingeniosior. Hu-

Lutheranis innata conuiciandi cõsuetudo.

Huiusmodi stylo si me quoq; aggrediaris, quàm minimè ad respondendum prouocabis, neq; ad similia tibi reponenda euocabis. Hæsit quippè mihi doctrina S. Augustini, *Lib: 3. contra Petilianum, cap: 1.* vbi cur conuicia conuicijs Petiliano non reponat, hanc assignat rationem: *Si & ego*, inquit, *tibi vellem pro maledictis, maledicta rependere, quid aliud quàm duo Maledici essemus? vt ij qui nos legerent, alij detestatos abijcerent sanâ grauitate, alij suauiter haurirent maleuolâ voluntate. Ego quando cuiq; vel dicendo, vel scribendo respondeo, etiam contumeliosis criminationibus lacessitus quantum mihi Dominus donat frenatis atq; coërcitis vanæ indignationis aculeis, auditori, lectoriuè consulens, non ago vt efficiar homine conuiciando superior, sed errorem conuincendo salubri or.* Hæc S. Augustinus. Et meritò quidem: non enim laus magna ex æquo calumnijs cũ aliquo certare, vel etiã illũ superare.

Maledicta pro maledictis non sunt repẽdenda.

Triobolarem hominem vocasti Hulsemane, sæpè memoratum Hagerum *in Manuali fol: 1245.* At illum ego æquiori iure triobolarem vocauerim hominem, qui conuicijs, maledictis, & opprobrijs certat. Cui proinde nefas sit cordatum hominem respondere: triobolares alios homines, tribus conductos obolis, opponere præstaret, qui hâc in arte melius quàm vllum genus hominum, sunt exercitati:

Triobolarũ homo qui cõuicijs certat.

Et certare pares & respondere parati.

Præter hæc occurrit mihi festiuus quidam iocus S. Gregorij Nazianzeni: Congesserat aliquando aduersus magnũ hunc Theologum, quidam Eustachius nomine, plurima maledicta: cùmq; opinaretur S. Doctorem maledictis secum certaturum, lepido illum dicto elusit, *Epist: 62. Eruditus sum,*

Apophtegma S. Gregorij Nazianzeni.

tus sum, inquit, *ut cùm caluus essem, cum ariete obuersâ fronte non congrederer.* Idem mihi ferè caluo animus, Hulsemane, cum arietibus non congredi obuersâ fronte. Sed nec decet me, meumq; statum, conuicia conuicijs rependere. Vereor enim & reuereor censurã S. Isidori Pelus: *Lib: 3. Epist: 231.* insignem virum quendam arguentis, quòd huiusmodi sese commiserit certamini, cùm quodam, nomine Zosymo: *Illud*, inquit, *in te minimè probo, quòd Zosymum specie tenus Presbyterum, urbis piaculum, Ecclesiæ labem, libertatis probrum, eorumq; qui cum ipso consuetudinem habent, pestem & perniciem, ac deniq; nullo non fædißimo nomine appelles.* Attende, quæso, quid Sanctus subijciat. *Etsi enim ipse talis est, at linguam tuam, quæ veritatis Organum est, huiusmodi sermonibus contaminari non conuenit.* **Lingua, veritatis organũ, conuicijs non contaminãda.**

Huc facit & illud quod obseruauit S. Hieronymus *in Epist: ad Tit: Merebatur*, inquit, *maledictum Diabolus*, cùm scilicet altercabatur cum Michaële Archangelo de Moysi corpore, *sed per Angeli os, blasphemia exire non debuit.* Non Angelicâ innocentiâ & puritate glorior, sed tamen officio Angelico in Ecclesia Dei, licet immeritus, fungor, quatenus & ordinatione legitimâ Ecclesiasticâ Sacerdos, & vocatione Diuinâ Ecclesiastes: vas proinde oris mei in sanctificationem oportet posideam, quod ex munere suo, *veritatis est organum*, ne blasphæmiâ aut conuicio aliquo cõtaminetur, etiamsi fortè quispiam aggressus me fuerit, idq; promeruerit. Sed & *gloriosiùs* reputabo, cum Venerabili Bedâ in Prouerb: *iniuriã tacendo tolerare, quàm respondendo vindicare.* Placebitq; insuper consilium S. Chrysostomi *Homil: 3. de Dauid, & Saul,*

& Saul, à ſimilitudine ignis petitum: *Sicut*, inquit, *ſi infles in ſcintillam ignis, excitas incendium; ſi expuis, extinguis: idem fit in inimicitiâ proximi: Si inflatos ac vecordes ingeras ſermones, excitas ignem: ſin mites ac moderatos, iram omninò extinxeris* Excitabis ergo Hulſemane, grande aliquod incendium: ego autē non inflabo, nè maius excitem: ſed expuam, vt extinguam. Cōtemnam putas? Reſpondebo cum S. Auguſtino, *Lib: 1. contra Iulianum, c. 1. Contumelias tuas, & verba maledica*, (Hulſemane) *ſi me contemnere dixero; Mentiar. Quomodo enim poſſum iſta contemnere, vbi teſtimonium conſcientiæ meæ cogitans, vel gaudere me video debere pro me, vel dolere pro te.* Expuam ergo non contemnens, ſed iuxta expoſitionem S. Chryſoſtomi, moderato animo ſuffocans.

Aut certè teſtimonium cōſcientiæ meæ cogitans, gaudebo de me, dolebo de te, quia inquinaberis pro me, exorner vt ego per te. Neq; enim obſcuriorem, ſed illuſtriorem reddunt quemlibet tetræ calumniarum & conuiciorum tenebræ, quarum denſa caligo Authorem ſuum obruit; quem verò petit, ad maiorem ſplendorem expolit. Accipe pro coronide Ennodij præclara verba: *In præcepto quando iuſſi ſunt, &c. Nec bonorum*, inquit, *facem meritorum maledicentis credendum eſt extingui poſſe conflatu: quomodo etſi dente tangatur inuidi, ſplendor vitæ, vmbram venenatæ locutionis excludit. Authorem repetunt tenebræ, quæ ad inuoluendum iubar aptantur. Nitorem ſiderum nox infuſa non obruit. Ad genium claritatis proficit cum obſcuritate conflictus.*

CAPVT

CAPVT XX.

Agitur de Responso Hulsemani contra Satisfactionem recenter euulgato: & vltima ratio proponitur, cur non illi amplius respondendum sit.

DVm hîc sum, & vltimam manum, per vltimam rationem, quâ nō amplius tibi, Hulsemane, moueor respondere, Operi huic cogito imponere; en inopinatè tuum vetus illud Prouerbium, cuius suprà *cap: 6.* memini, comparet: Responsum, inquam tuum, & si tuo nomine suppresso, delitescens, tuo tamē stylo, & aliunde notisimū: quod, de te, & pro te loquens, velut alter quidam, reuera autem tu ipse, tuus Patronus, simul & cliens, exhibes contra Satisfactionem meam, vel, vt tu vocas, Inuectiuam. Facilè colligo, illud idem esse quod Thorunij confeceras: at eò vsq; suppresseras; & nunc primùm Vitembergæ euulgaueras. Egregiùm sanè militem agis, ô Hulsemane: Ibi primùm signa explicas, gladium euaginatum vibras, ad arma prouocas, vbi iam abest Aduersarius: quo adhuc constituto in campo, non comparuisti; imò quantum poteras latuisti, deliquium cordis, vel me viso, prætexens.

Porrò de hoc Responso tuo, eiusmodi iudicium, vir quidam probus & apprimè eruditus, in suâ ad Illustriss: & Reuerendiss: D. Episcopum Cracouiensem Epistolâ tulit, quod fideliter de verbo ad verbum hûc transfero: *Hulsemanus responsionem contra A. R. P. Hieronymum à S. Hyacintho Discalceatum, post reditum suum in Academiam Vitembergen-* *Iudicium de respōso Hulsemani.*

bergensem, sine addito nomine sparsit, quam Thorunij habuit præparatam, sed eandem extradere noluit, dum defensionem Satisfactionis à prænominato A. R. Patre metuebat. Mitto exemplar Illustrißimæ Celsitudini Vestræ, &c. statum quæstionis non attingit: nec argumenta A. R. P. Hieronymi soluit, sed more solito ad veteres recurrit calumnias, quas magno numero tanquam puluerem spargit, vt sub ijsdem sese abscondat, Lectorem à scopo principali abducat: & vbi res cum re, ratio cum ratione certare debet, ibi loco Responsionis, homines innocentes luto exagitat. Hæc ibi.

De eodem Responso tuo, ille idem sic quoq; mihi scribit: *Exemplar Responsionis, quam Hulsemanus Thorunij perfecit, post reditum verò suum in Academiam Vitembergensem, sparsit contra Satisfactionem A. R. P. V. transmisi Illustrißimo D. Episcopo Cracouiensi. Non est formidabilis hostis, vsitatis telis Lutheranorum, hoc est, calumnijs pugnat, cùm aliud scutum non inueniat, quo tela A. R. P. V. excipere & auertere poßit. Sub nomine A. R. P. V. alios petit: & opinatur calumniari, esse respondere, aut argumenta soluere.* Hæc ille. Cuius censuræ vix aliquid superaddendum videtur. Verè enim totum quicquid tuum, Hulsemane, continet Responsum, breui, at exacto compendio, complexus est.

Lutheranorum est calumnijs pugnare.

Hulsem: calumniari putat soluere argumēta.

Meam quæris sententiam de eodem tuo responso? dicam: quod ante prædixi:

Parturiunt montes: en natus ridiculus Mus.

Parturijsti magno cum dolore animi tui (vt intellexi) Thorunij, hoc scriptum tuum: vsq; Vitembergæ enixus es: natusq; *Ridiculus Mus.* Neq; enim tantum rodit, quin risum cohibe-

cohibeat, & non magis excitet. Murem dixi fætum tuum. Si placet, bonâ venia tuâ iam corrigam, & vocabo Erinaceum; non enim in vnâ parte tantum dentes muris habet, ſed totus, ad inſtar Erinacij, ſpinoſus, totus aculeis conuiciorum, calumniarum, criminationum armatus. **Eiusdem reſpõſum Erinacij ſimile.**

Domeſticum tibi de Erinaceo caſum referam. Contingerat ad quoddam Monaſterium noſtrum hîc in Polonia, allatum fuiſſe Erinaceum. Dumque Religioſi à prandijs, pro more, ad releuandum per vnam horam animum, progrediuntur intrâ pomarium Monaſterij, occurrit Erinaceus: accurrit & canis domeſticus, pomarij cuſtos: qui viſo Erinaceo aggreditur illum: iam faucibus prehendere, iã pedibus comprimere geſtit: ſed quâcunq; parte illum arripit, pungitur, & retrahitur. Porrecta iucundæ recreationis materia Religioſis per aliquot dies, qui iteratis vicibus horâ ſolitâ animalculum illud obijciunt cani, illumque vexant improperijs, quod contra Erinaceum non præualeat. Ignominiam ſuam canis (qui & grandis, & generoſus erat) ferre amplius non potuit; ſed dum plus ſolito exprobratur illi, totâ ſpectante Communitate, in vicino Erinacei, ſummâ contentione pedibus terram eruit: foueâq; competenti factâ, pede altero protrudit Erinaceum in foſſam, moxque eiectâ terrâ obruit; ſuumq; opprobrium ſimul cum Erinaceo, mirâ ſagacitate ſepeliuit. Vix non idem cum tuo mihi Erinaceo ſpinoſo, & in tractabili Tractatu faciendum occurrit: vt nimirum foſsâ humi factâ, ſepeliam illud. Sed præſtat, vt aliquas ante ſepulturam, exequias illi inſtituam. **Canis induſtria.**

Imprimis verò confirmor ex hoc tuo Reſponſo, nullam me

Iam me vnquam habiturum neceſsitatem tuis, reſpondēdi ſcriptis, prout iam præconceperam, & præteritis Capitibus expreſſeram. Tale enim Reſponſum ad meam Satisfactionem obtuliſti, quod reuera nullo ex capite meretur replicatum Reſponſum.

Omitto enim mordaciſsimorum, & mendaciſsimorum conuiciorum immenſam farraginem, quibus non modo me, ſed etiam plures alios occaſione mei, importunè admodum, vſitato ſtylo tuo, & impotenti conuiciandi libidine, peſsimè tractas & exagitas. Videris enim nihil aliud agere, libros aliquos legendo, quàm fabulas, & famoſiſsima quæq; colligere, quò noſtros exquiſitis conuicijs petas & infames; imitatus hac in parte non apim, quæ de vrticis quoq; mel colligit; ſed araneam, quæ ex ipſis etiam floribus venena, ſi quæ ſunt, attrahit.

Apis ex floribus mel, araneæ venenum colligit.

Maledicta tua & conuicia in te redundant, nos coronāt. Appella me quantum vis iteratis vicibus *Monachum*; maximâ, vt tu putas, contumeliâ: Te oſorem, me cultorem vnitatis ex S. Auguſtino ſuperiùs *Cap: 6.* allegato, vel inuitus appellas. Idem de alijs dico contumelijs.

Num putas me ad ſimiles contumelias euocabis? vtq; his tecum certem armis, aliquando induces? Iam tibi innui triobolarium id eſſe hominum. Triobolares quoſpiam homines, qui tecum in eiuſmodi palæſtra ex æquo decertarent, conducerem, ſi modo mihi adeſſent oboli: nimirum ſi Patruelis (ex liberali tuâ hypotheſi) Ioannis Friderici olim, ſucceſſorq; illius fuiſſem: quam ſucceſsionem iuſto vel iniuſto titulo mihi delatam, tam auidè me putas acce-

ptaturum, vt ne vix quidem à voto paupertatis, contrarium censeas, impetraturũ. In quo quidem vehementer falleris Hulsemane? Propitius sit mihi Dominus, quia non modo pro Ducatu Saxoniæ, sed nec pro vniuersis Regni mundis, fidem Deo datam in meâ Religiosâ Professione, infringerem. Multò sanè plures in Monasterijs nostris Religiosos reperies, qui relictis maximis opibus & honoribus, pauperem & humilem vitam pro Deo elegerunt, voluntario carceri Religiosi instituti vltro seipsos mancipantes, quàm qui à voto Paupertatis repedârint ad sæculi oblatos etiam opulentos honores, & amplas dignitates. Sed hoc currat inter alia tua conuicia, non alijs conuicijs reponenda, nec fusioribus responsis diluenda.

Religiosi paupertatem toto mũdo nõ commutarent.

Omitto item illas Responsi tui patheticas Exclamationes, exoticas inuocationes, macaronicas interlocutiones; dum intempestiuè admodum, sine vllâ causâ, aut occasione alicuius singularitatis, vanam duntaxat præferens ostentationem, Græca admisces vocabula. Cur non etiam Parthorum, Medorum, Arabum, Elamitarum, voculas aliquas intertexuisti, quò maiorem tibi apud tuos admirationem conciliares de tantarum peritiâ linguarum? Tandem omnia hæc Hulsemane, quantumcunque multiplicaueris, (multiplicasti autem his, maiorem tui Responsi partem) non sunt nisi verba, nil ad principale negotium nostrũ conferunt: punctum difficultatis non tangunt. Sicut & illæ proprij tui styli certi indices, ineptæ inquam, importunæ, scommaticæ cõparationes, quas tu, vt argutulus tibi, tuisq; videaris, non tam ad exemplificandum & illustrandum aliquid,

Hulsem: Rhetorica.

quid,quam ad malignè perſtringendum alios,multiplicas, & accumulas.

Idem nō deſert Sāctu.

Omitto & illud quod meo Sancto Hyacintho,à quo de more Religionis cognomen ſortior,titulum Sancti, Sanctorum inimicus, detrahis, præmiſſum S. detruncando: tuus verò Lutherus neſcio quo ænigmate hieroglyphico, habet apud te præmiſſum B. niſi fortè deſignes Epithetum, cuius antepenultima litera, tibi quidem ſit vltima muta, nobis verò ſit penultima liquida.

Quomodo Lutherus. B.

Omitto tandem & illud,quod ad te purgandum longo adducis contextu: te nimirum nunquam Sereniſsimo Duci Saxoniæ familiarem à conſilijs bellicis fuiſſe, nunquam ſago, ſolâ duntaxat togâ,celebrem, nunquam tumultuoſis exercitatum negotijs: niſi eo ſenſu, & in eo gradu, quo tu fuſiùs in laudes tuas excurrens,deducis. Parum moror, hoc vel alio, vel etiam nullo modo fueris Conſiliarius. Familiaritatem Principis alioqui honorificam, quam non confinxi, ſed per alios accepi, eâdem facilitate quâ tibi contuli, in tuorum fide verborum leuo. Mihi, meoq; intento ſatis erat, talem de te rumorem reuera ſparſum fuiſſe per quoſdam tuorum, qui tibi, tuæq; ampliori reputationi, hac viâ obſequium ſe præſtare arbitrabantur; vt noſtra, quam conceperamus, ſuſpicio, occaſione Symboli à te allati, firmaretur. Ipſos mentitos exagita: me verò etiam à contradictione,facile vindica: quam alioqui non tam facilè videris tibi poſſe ſoluere, cùm ex vnà parte dicis me in principio prioris Sermonis, encomiū tibi contuliſſe cautelæ & modeſtiæ, moderato & prudenti viro, familiaris: At in decurſu alteri-

alterius Sermonis, te rursum, bellicis & tumultuosis negotijs exercitatum vocaui. Papæ: Gordius nodus: *Distingue tempora, conciliabis iura.* Aduertendum erat, Hulsemane, me ista in diuersis Sermonibus protulisse: in priori scilicet Sermone, prius illud dixi, antequã aliud de te non innotuisset, quod in sequẽti Sermone expresi. Sed nec adeò promptè tibi encomium illud prioris Sermonis vsurpare debueras, quod nequaquam tibi, sed studiosè, in abstracto, *Prudenti & Moderato viro*, attribui. Nimia laudis auiditas præpropere impulit te, encomium illud tibi vt applicares.

Diuersis temporibus seruiunt diuersa.

Hulsem: laudũ auidus.

Omitto deniq; grandem illam animi tui elationem, quâ dedignaris acceptare Satisfactionem meam, à me reuera per te requisitam; vt ipsa Protocolli Acta publica, suprà *Cap: 4.* allegata, testantur hisce verbis: *Obtulit P. Hieronymus à S. Hyacintho scripto Satisfactionem, à D. Hulsemano Collocutore Partis Augustanæ in Sessione publicâ die 3. Octobr. requisitam, & à se promissam. &c.* Cur quando illam promittebam publice ad tuã requisitionẽ, vt constat ex Actis, non mox replicasti, te illam non à me requirere, sed tacendo consensisti? Sic profectò non solùm à me, verùm ab omnibus communiter intellectum erat, te nimirum illam Satisfactionem à me requisijsse, non ab alio: quis enim secundum omnem æquitatem, pro alio teneatur satisfacere; cum Satisfactio veram vel prætensam supponat offensam, cui qui non subiacet, nequaquam satisfacturus iure requiritur? Hanc igitur Satisfactionem à me in sensu omnium requisitam, & per me repositam, dedignaris admittere: eamq; constanter in tuo Responso negas te vnquam à me

Idẽ falsò negas se Satisfactionem requisiisse.

vno Monacho, Ducibus Saxoniæ nunquam comparando, requiſijſſe: ſed à quibuſdam culminibus & cacuminibus, cacumina Carmelitica tranſcendentibus, Saxonicaq; æquantibus, eam fieri efflagitas: *qualem, quantamq; poſtulaturi ſunt ipſi Principes, ventura dies docebit*, ſubiungens.

Eiuſdem faſtus. Talem tantamq; Satisfactionem vſq; in illum diem, per me licet, expectes, ſi meâ interim non es contentus. Minas verò tuas, & malum quod Ætnâ maius præſagis, nil moramur; quantumuis nunc primum velles eſſe à conſilijs bellicis, ſagoq; celebris. Vel ſi mauis, ad tuas minas, ſimiles reponimus: ex eo quod Imperatoribus Romanis, totiq; Auguſtiſsimæ Familiæ Auſtriacæ vehementer detrahis, dum arma illius olim Saxonis contra Carolum V. non *Arma Rebellionis*, ſed *Arma Defenſionis* fuiſſe contendis: eoq; ipſo (vt in meâ Satisfactione amplius probaui) indignũ aliquid pietate & Maieſtate Imperiali, CAROLO V. totique proinde Familiæ, præ omnibus in totâ Chriſtianitate nobiliſsimæ, affigis. *Idem Imperatori detrahit.* Imò vel in hoc reſponſo tuo, non longè poſt principium §. qui incipit: *Taceo tranſactiones, &c.* audes dicere Ioannem Fridericum *illegitimè Electoratu priuatum*; neſcio quo conſilio, *vtcunq;*, adiungens. Quid quod Summum Pôtificem publicis ſcriptis vocans Antichriſtũ, Imperatores, Reges, & omnes Principes Catholicos, ex obliquo ingenti contumeliâ feris, quaſi ſint ex parte Antichriſti? *In Principes Catholicos contumelioſus.* prout quidem ſuprà *Cap: 18.* fuſiùs deduxi. Et ſexcenta alia eiuſmodi tibi ex tuis ſcriptis proferã, vnde Principes Chriſtiani longè grauiorem offenſam prætexant: & ſubiungam ſimiliter, quod de his omnibus, non per te vnum

Mini-

Ministellum Vitembergensem, tantis Principibus; sed per eos qui cum Romanis Imperatoribus (vt tu ais) Maiestatem Imperij partiuntur, danda sit Satisfactio *qualem quantamq́; postulaturi sunt ipsi Monarchæ Orbis, ventura dies edocebit.* Non times Hulsemane? non trepidas? non contremiscis ad tantas minas? Nec ego ad tuas.

Omissis itaq́; leuioribus hisce velitationibus, quibus à principali scopo digrederis, & diuertis, quid tandem rei solidioris habes quod mereatur vt replicem? Nũ aliquid probas? num mea soluis? vt tuas probationes rursus soluam, tuis solutionibus nouas iterum opponam instantias. Nihil horum. Symbolum illud Maiorum tuorum, *nonnisi per extremam calumniam Symbolum dici* asseris prope finem tui Responsi, (nisi meum me fallat exemplar.) At tu ipse in illo tuo priori, quem refutaui, Sermone, primus *Symbolum Maiorum tuorum* vocasti: & in hoc Responso tuo toties itidem *Symbolum* nominasti: nunc iam *nonnisi per extremam calumniam Symbolum* vis appellari. Quid est Hulsemane? Oblitus es tui? Si *extrema calumnia est* vocare illud *Symbolum*, nonnè supra te extremam regeris calumniam, & calumniosum Calumniatoris titulum, quo me toties afficis, in te ipsum vltro calamo tuo refundis?

In sacro responso nihil soluit.

Sui oblitus.

Præterea Symbolum hoc negas *vnquam fuisse tesseram aut Sacramentum Confæderationis, nedum Rebellionis, apud Principes Germanos, Confessionem Augustanam profitentes.* Rem lippis & tonsoribus notam, negas. Symbolum fuisse, negare non potes, licet negare ausus fueris, quòd toties antè concesseras. Symbolum item Religionis, Augustanam Con-

Symboli Luther: Confæderationis tessera.

 fessio-

feſsionem Profitentium fuiſſe, admittis in tuo reſponſo, atque ex hac parte mihi ſubſcribis. Symbolum deniq; fuiſſe illorum per conſequens, qui arma contra Carolum V. leuârunt, negare non potes, niſi rideri velis. Porrò dum illi in ſuis Conuenticulis & caſtris, huiuſmodi Hieroglyphicas literas V.D.M.I.Æ. & Confæderationes ſtatuendo, & contra Imperatorem pugnando, præferebant; eos huiuſmodi Symbolo, ad prætextum Religionis Rebellioni conciliandum, non fuiſſe vſos, perſuadeas tu cui poteris: mihi, meæque cauſæ parum intereſt; cui ſufficit (quod toties ingeminaui, & ingemino) vel exinde non temerè deduxiſſe, huiuſmodi Symbolum nobis fuiſſe ſuſpectum, quòd ij qui in noſtrâ opinione Rebelles erant Carolo V. eo vſi ſint ad prætextum ſuæ Religionis, quo prætextu poſtmodum bellum Carolo V. intulerunt.

Porrò dic amabo, Hulſemane, ſi tempore illius belli aliqui de exercitu Imperatoris Caroli Quinti, illud idem Symbolum iactarent, & more Confæderatorum, ſuis veſtibus intertextum geſtarent, euaderentnè, putas, cum Symbolo ſuo, vel ob hoc ſolùm notam Rebellionis & proditionis? Tunè id cuipiam, cum totâ facultate tuâ Rhetoricâ, & hiſce tuis diſcurſibus, perſuaderes? Non opinor equidem: ſed quicquid tu præoccupatus affectu ad hæc dixeris, prudenti cuiuſuis iudicio me ſubmitto: & exinde facilè rem ad meũ intentum applico. Nimirum nec mihi, nec noſtris modò perſuadebis, quod tunc Carolo V. nequaquã perſuaſiſſes.

Admittis tandem causâ diſcurſus, (eſto, vt *falſiſsimum*, concedere non cenſeas) Symbolum hoc fuiſſe Symbolum

Rebel-

Rebellionis. at reuocas me ad interiorem tuum *sensum & intentionem*, quâ illud protulisti, quamq; *ex argumento & connexione sermonis* me debuisse colligere mones. O Hulsemane, non legisti *Ierem: 17. Prauum est cor omnium*; siue vt 70. vertunt: *Profundum est cor super omnia, & inscrutabile: quis cognoscet illud?* Egonè tuos sensus, & tuas intentiones scrutari potui & inuestigare? Egonè externos sermones tuos, eorumq; contextum, tuis internis conceptibus conformem per omnia assequi potui? Tuæ in loquendo sinceritati detrahere nolui: nostræ incolumitati à symbolo, eâ dũtaxat ratione, quâ suspectum erat, vel esse poterat, nobis prouidere volui. Non licet mihi cautum esse, quia tibi hominem rectarum intentionum in loquendo libet esse? **Cor hominum inscrutabile.**

At fortasis argues, non tam leuiter de altero grauẽ suspicionem esse concipiendã. Semel, pro semper, accipe responsum. Mala suspicio de aliquo, duabus ex causis potest concipi: vel primò & principaliter ad propriam cautelam, quicquid secundariò & ex consequenti, præter intentionem suspicantis, eueniat: vel primò & principaliter ad inuadendum, aut damnandum alium. Et quidem dum in suspicione, ad cautelam propriam primò & principaliter attẽditur, præsertim in causâ boni publici, suspicionis fundamenta nõ est opus adeò exacto scrutinio examinare, sicut in illo altero casu foret necesse. Mea porrò prima & principalis intentio, quam etiam disertis verbis in Satisfactione expressi, non erat te inuadendi: quid enim mihi inde lucri? sed solum duntaxat cautelam adhibendi: idque in publicâ causâ Religionis. Si non credis, quomodo nunc volebas, tuis vt **Suspicio duabus ex causis oritur.**

ego crederem intentionibus? Si quod dixi, tantum diſtat, vt ais, à vero, quantum Carmelita à Carmelo: aio pariter & ego: id quod tu dicis, tantum diſtare à vero, quantum in meâ opinione, & rei veritate, dogma Euangelicorum (vt vocant) diſtat ab Euangelio.

Quod autem Symbolum illud: *Verbum Dei manet in æternum*: ex Diuino planè, Prophetico, & Apoſtolico, Iſaiæ, & Petri Symbolo, depromptum eſſe aſſeris: fiduciamque non extinguendæ veritatis, legitimè in Conſilium Reconciliationis adducendam contendis: non inficior Hulſemane: palam profeſſus ſum, & dixi: *Verbum Domini maneat in æternum.* Non Symbolum Iſaiæ, & Petri, non ipſam veritatem nunquam extinguendam, ſed Symbolum Maiorũ veſtrorum exulare feci: non quo malo malè, ſed quo bono malè vſi ſunt, & quatenus malè vſi ſunt, vel nobis & alijs malè vſi, viſi ſunt.

Iam verò, quod magis præcipuam videtur tangere difficultatem, ais Ioãnem Fridericum, olim Saxoniæ Ducem & Electorem, *ſub haſtâ vi & causâ metus* reſignaſſe beneficiũ alteri ſuo agnato, ſubſecutaſq; fuiſſe *tranſactiones & pacta familiæ*, per quæ reſignatio illa & tranſlatio roborata eſt. *Et Monachum quidem Montis Carmeli nihil*, inquis, *attinet iſta ſcire, conſulat interea* (mones nihilominus) *Thannum, l. 2. 4. & 13. Hiſt: &c.* Mi Hulſemane, ſi non attinet me iſta ſcire, quid me eò remittis vnde ſciam? Sed ſit planè ita vt loqueris. Legẽ tulerit haſta, feceritq; vi Ioannẽ Fridericũ reſignaſſe beneficiũ alteri ſuo agnato: interceſsiſſe item pacta & tranſactiones Familiæ; quid hæc ad rationes meas faciunt?

faciunt? Ego enim suspectum nobis Symbolum appellaui, quod symbolum fuisse eorum, qui Carolo V. rebelles fuerant, intellexi: Rebelles porro illos fuisse intellexi: nam apud Sleydanum tuum (præter alios) legi, ipsos, & præsertim Ioannem Fridericum, tanquam rebelles mulctatos, dictumq; Ioannem Fridericum dignitate septemuirali priuatum; alioqui capitis sententiâ ante damnatum, fuisse, vitamq; cessione dignitatis redemisse. Fuerit id lege belli per te, ex parte Saxonis, non Imperatoris, iusti; per me, iusti ex parte Imperatoris, non Saxonis (cur enim ego potiùs in tuam, quam tu in meam sententiam, concedere debeam) interuenerint postmodum pacta familię: & totum aliud quicquid ponis: non euacuat fundamentum conceptæ suspicionis in meâ opinione, quam nulla ratione teneor cum tuâ commutare. *Liberum cuiq; opinari.*

Tandem his relictis in tuo Responso me aliò diuertis, & in spiritu vehementi contra nos inueheris his verbis: *Quid formidatis tangi vestra vlcera, quæ Maiores vestri ingenuè fassi sunt scatere, & superstitionum & vitiorum saniε. &c. &c. Descendite nobiscum in publicum. Legite Confessionem nostram. Edite nobis diuina illa testimonia, quæ iubent commigrare in vestras opiniones. Et nolite præterea simplicibus imponere, tanquam Beati Ambrosij sententia, de constantia doctrinæ Catholicæ, magis faciat pro nouitatibus vestris, quam pro commentis Mahumeti. Fatemini ipsi, quod Ambrosij ætate non fuerint de fide, vt suspicantur, Libri Tobiæ, Iudith, Baruch, Machabeorum, pro Canonicis, idq; sub pœna anathematis; sed postea hoc esse definitum pro articulo fidei. Fatemini peccatorum omnium enu-* *Hulsemani vana iactatia.*

um enu-

um enumerationem in Confeßione, eâ ætate nondum fuisse definitam, tanquā necessariam: atq; alia eiusmodi, quæ progressu Colloquij ponemus vobis ob oculos. Nunquid hæc est perpetua illa formula eiusdem doctrinæ; hodie id decernere pro articulo fidei, tam verum, tamq; necessarium, quod Ecclesia Catholica, Ambrosij ætate, non habuit pro vero, non habuit pro necessario, multò minùs pro articulo fidei, sub anathematis pœnâ suspiciendo?

Hæc tu Hulsemane, extra Chorum quidem (vt aiunt) saltando, ad locum nihilominus S. Ambrosij, in meâ Satisfactione adductum, recurrendo, nostræque Catholicæ Ecclesiæ, velut malè applicatum, arguendo, magno prosequeris apparatu. At inprimis obseruo (quod & initio huius Capitis notaui) quàm animosum Militem te exhibeas modò, postquam ex arenâ descendisti, postquam congredi nobiscum ante, miris industrijs, tergiuersationibus, & euasionibus (vt ex Protocollo publico in lucem edendo clariùs patebit) subterfugisti? postquam ad tuos iam lares remeasti? Ibi primum in theatro tuo Vitembergico, procul ab Aduersario, procul à certamine, animositatis tuæ argumenta depromis, absentes prouocas, arma per aëra vibras, & de imaginario hoste triumphas. Cur publicâ, vt constat ex Actis Protocolli, Ill^mi & Rnd^mi D. Episcopi Samogitiæ, Præsidis nostri Collegij, inuitatione, præsens prouocatus, non comparuisti? ibi certè locus & tempus opportunum erat, eam, quam nunc iactas, animositatem comprobandi.

Ecclesia Sagenæ in Euangelio comparata. Exprobras vlcera nostra. Et quando Corpus Ecclesiæ in aliquibus suis membris vlcera non habuit, quam Christus ipse in Euangelio Sagenæ, de omni genere piscium congregan-

greganti, bonosq; & malos continenti, comparauit? Non abscondimus, Hulsemane, etiam nunc, vlcera nostra, sed sicut primis temporibus, ita & modernis, vbi, & quando opus est, propalamus, vitia reprehendimus, abusus damnamus, delinquentes castigamus: quæ dum vos in nostris Libris reperitis, (prout & tu in hoc Responso facis) ad contumelias contra Ecclesiam, & Personas Ecclesiasticas, conuertitis: & pleni vos ipsi deterioribus longè vlceribus, cum Pharisæo vosmetipsos malè iustificatis. Porrò sicut abusus in Ecclesiâ Catholicâ corrigendos, quoad mores, reperiri non negamus; ita errores in doctrinâ fidei reformandos, inueniri nunquam admittimus. Ac proinde nullam vnquã rationem coram Deo habituros asserimus illos, qui prætextu aliquorum abusuum, in materiâ morum, separant se ab Ecclesiâ nostrâ Catholicâ; de quo fusiùs in alio Opusculo, quod huic Apologiæ præmitto. *Abusus morũ non praiudicãt fidei.*

Porrò aliqua in EcclesiâChristi, successu tẽporis determinari, quæ ante determinata nõ erãt, & declarari pro articulis fidei, quæ antea in se iã erãt articuli fidei, esto nõ quoad nos, nec veritati Ecclesiæ nostræCatholicæ, nec perpetuæ, eiusdẽque, ac inuariabili doctrinæ illius, formulæ derogat, quominus eadẽ prorsus, quæ tẽporibus S. Ambrosij erat, nunc quoque censeatur esse. Inquiro enim Hulsemane, eandemnè cẽses fuisse Ecclesiã à Christo fundatam ante suam Ascẽsionẽ, cũ eâ quæ post eiusdẽ Ascensionẽ, Spiritu Sancto in die Pentecostes fuit repleta? Eandem profectò velis, nolis, in substantiâ censere debes. Nunquid verò omnia Ecclesiæ illi, ante Spiritus Sancti descensum, quæ & post eiusdem Spiri- *Declaratio doctrinæ, non est variatio.* *Eadẽ Ecclesia ante, & post Ascensionem Christi fuit.*

tus Sancti descensum, nota fuere? Accipe ipsum Christum
Ioan:16. loquentem: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modo. Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* &c. *ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Absq; omni igitur controuersiâ, multæ veritates ante aduentum Spiritus Sancti, occultæ erant primæ illi Ecclesiæ, quas consequenter habens ignotas, non amplectebatur tunc, vt dogmata fidei, licet in se talia fuissent; donec venisset Spiritus S. qui docuit illam, & annuntiauit illi, *omnem veritatem.* idq; citra omnem variationem Ecclesiæ, siue doctrinæ, sed saluâ idẽtitate illius.

Ante ad uentum Spiritus S multa veritates latebant Ecclesiã.

Amplius, *Act: 15.* orta erat grauis quæstio, idque inter credentes, de Circumcisione, & seruãdis legalibus Moysis: *Surrexerunt quidam,* ait B. Lucas, *de hæresi Pharisæorum, qui crediderunt, dicentes: quia oportet circumcidi eos: præcipere quoque, legem seruare Moysi.* Quæstio sane ad materiam fidei spectans: constat enim iam de fide, abrogatam esse legem Circumcisionis: tum nihilominus veritas hæc non constabat. ideò enim inquit Sacer textus: *Conuenerunt Apostoli, & Seniores, videre de verbo hoc.* Tandemq; determinatum est in illo Concilio, fideles nullo modo esse circumciden-
Gal: 5. dos. Hinc S. Paulus inuehitur contra eos, qui inducebant circumcisionem: *Ecce ego Paulus dico vobis quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* Et mox eos qui hoc illis persuadebant, velut anathemate ferit, cùm subdit: *Vtinam & abscindantur, qui vos conturbant.*

Ecclesiæ vsus determinãdi aliquid in fide, ab Apostolis profluxit.

Fuit ergo in Ecclesiâ à primordijs, & vsq; modo est, authoritas, non vt vos per calumniam imputatis nostris, imponitis

ponitis veſtris, nouos fidei articulos condendi, (quod nullus vnquam noſtrûm docuit) ſed declarandi & determinandi aliquid, tanquam de fide tenendum, quod in ſe quidem ſemper erat articulus fidei, quoad nos, tamen nondum pro dogmate fidei innotuerat; neq; enim omnia ſimul innotuerant, ſed occaſione emergentium hæreſum, vel nouarum difficultatum, decidi opus erat, quod latebat.

In huius authoritatis poſſeſsione perenni & inuiolabili, erat Eccleſia à primis ſæculis, & controuerſa aliqua, congregato tandem Concilio, ne fideles omni vento doctrinæ circumferrentur, ex promiſſâ ſibi non ad tempus, ſed perpetuâ aſsiſtentiâ Spiritus S. omnem veritatem illam edocturi, & in æternum cum illa manſuri, determinabat, & ſuæ determinationi ſub anathemate parere iubebat, ac contumaces quoſq; anathemati ſubijciebat.

Sic in Oecumenico Concilio Nicæno, in Symbolo fidei, videre eſt in terminis. Sic in Concilio Conſtantinopolitano primo, *Canone 1.* omnia dogmata hæretica Eunomianorũ, Arianorũ, Pneumatomachorũ, anathematizantur. Sic in Cõcilio Epheſino ad finẽ, in Decreto Synodi, de fide: ij qui ex laicis inuẽti fuerint, ſentire vel docere ea, quæ cõtinebantur in oblatâ expoſitione è Chariſio Presbytero, de vnigeniti Filij Dei incarnatione: ſiue ſcelerata & peruerſa Neſtorij dogmata, anathemati ſubijciuntur. Sic in alijs conſequenter Concilijs factum cernimus, vt quæ antea anathemati non ſubiacebant, per eadem Concilia ſubijciebantur: & nihilominus non ob hoc fideles ab Eccleſiâ velut tyranicâ abhorrebant, vel recedebant, aut non eandem doctrinæ formu-

Iam ſeruari arbitrabantur, vt tu Hulſemane cum tuis, ex hoc eodem capite arbitraris.

Inuariabilis doctrina Ecclesiæ.

Profer nobis vel vnicum clarum exemplum, quod Eccleſia noſtra Catholica nunc teneat de fide, & ſub anathemate, cuius aliquãdo contrarium de fide, & ſub anathemate, tenuit: & cauſam euiciſti, doctrinamq; fidei variatam apud nos comprobâſti. Tu porrò nunc ſolummodo aliquid, V.G. determinatũ, de fide, & ſub anathemate, à Concilio Tridentino monſtras, quod antea non habebatur pro tali, ſed liberè contrarium opinari cuilibet licebat citra periculum hæreſis: id profectò non eſt variabilitatem doctrinæ oſtendere, ſed feliciorem eius in diem progreſſum monſtrare; quod tantum abeſt, vt contrarietur vnitati, integritati, & ſinceritati doctrinæ fidei, quin potiùs conforme ſit ſcripturis ante allegatis: & praxi in primitiuâ Eccleſiâ, primiſq; ſæculis vſurpatis. Id totum vel tu adhuc non intelligis: & es multùm indocilis: vel non vis intelligere: & caue ne proteruus habearis.

Sed libet ad hominem te confutare Hulſemane, ſeruatâ proportione ad ſolùm principale meum intentum. Tu in Opuſculo tuo infra citando, velut oraculum quoddam Lutheranæ Synagogæ, plurimas ſubtiliùs recenſes & decernis hæreſes: conſequenter contraria earum dogmata tanquam articulos fidei definis. Attende nunc quid dicam. Si vel centeſima, ſaltem pars cætus pauculorum tuorum Lutheriſtarum, antequam hunc tuum librum legerit, eadem omnia, quæ tu, pro hæreſi habet, & contraria illorum pro articulis fidei, multo promptiùs pedes tuos quotidie deoſcu-

deosculaturum me spondeo, quàm tu hoc idem cum spontanea mihi seruitute stipularis, si vel vno teste idoneo te comprobauero, Serenissimo Electori Saxoniæ à consilijs bellicis vnquam fuisse. Superaddam & ego aliquid ampliùs. Et nihilominus, si postquam tua scripta reliqui de tuo cætu legerint, eamque fidem Lutheranam tunc primum esse apprehenderint, quæ illa damnat pro hæresi, quæ tu damnas, contrariaq; recipiat pro articulis fidei, quæ tu recipis: Si tunc primũ, inquam, id pro vero & necessario sibi tenendum persuaserint, quod ante nesciuerant, num acquiesces, non eandem esse formulam doctrinæ vestri cætus; licet nonaginta nouem partes illius, hactenus illam pro doctrina sua propria non habuerint, & illa reliqua centesima pars fortassis adhuc maiori ex parte de ipsa hæsitet? Verùm piget hisce euanidis immorari, & tempus perdere. Eo porrò fine adducta sunt obiter, non tam vt responsis soluantur, quã vt nulla ex professo responsa, iure exigere monstrentur.

Id tamen non libet dissimulare, quòd cùm tu Hulsemane, largo ore & calamo, immensis calumnijs, conuicijs, & iniurijs, me aspergas, imò obruas, inuideas tamẽ hæc, velut Margaritas & vniones, inter Monilia Sanctitatis per illa parandæ, à me computari: ipse nihilominus nihil tale à me referens, præter solidam & neruosam refutationem, iactas te huiuscemodi margaritis ornatum, & exinde gloriosiùs, quàm quemquam ex alijs Sectarijs, in huiusmodi congressibus cum nostratibus decertantem, in suam domum ex Charitatiuo Colloquio reuertentem. O cur de his ornamentis nesciuit Pastor ille, tuæ Sectæ, Glogouiensis, vt ijs quoq; te

 in redi-

in reditu ſuo Vitembergam, non tam ornaret, quàm oneraret, vnà cum alijs nouis honoribus & titulis, quibus te cumulauit.

Fama quippè publica, poſtquam totum iam ferè Orbem impleuit, nouiſsimè quoq; ad meas aures (vt potè, quē vocas Eremi incolam) peruenit: te in reditu tranſiuiſſe Glogouiam, ibiq; à milite præſidiario Suecico, & Miniſtro Lutherano eiuſdem loci, humaniter exceptum, & pro Dominicâ die detentum. Cùm verò Præco ille Verbi Dei, inter concionandum Dominicâ Aduentus, myſteria Dominicæ Palmarum recenſet: quomodo nimirum Chriſto ingredienti Hieroſolymam, varia ſeruiuerint inſtrumenta; vt potè rami arborum, veſtimenta hominum, & præcipuè Aſinus, cui Chriſtus inſederat: tandem per digreſsionem applicauit tibi Aſinum illum, dicens: Aſinum talem, Eccleſiaſticū & Spirituale͞, fuiſſe D. Hulſemanum, qui ideò optimo iure, non iam Hulſemanus, ſed Eſelmanus nominādus eſſet, quod Corpus Chriſti Myſticum & Spirituale, Eccleſiam videlicet Lutheranam, in Colloquio Charitatiuo Thoruniēſi, humeris ſuis tam feliciter portauit, vt nec minimū membrū eius læſum fuerit. Quàm opportunè hîc ſeruirent illi ea, de quibus tu (fruſtra licet) gloriaris, Monilia; ſi de his ipſi quoq; conſtitiſſet: vt his ornatum te in ſuam remitteret Patriam.

Hulſemani elogiū.

Sic Hulſemane, glorioſus vndique, & nouis auctus titulis (non à me, ſed à tuis) nouiſq; honoribus, tuis inſuper imaginarijs Monilibus, tuam ingrederis Vitembergam. Sit hæc fama, quam retuli, fabula, vel veritas, (nec tu certiora ſemper refers in fide aliorum) eam certè non confinxi, ſed

amplif.

amplissimo passu, passim & vbique, vagari intellexi: eo verò fine hîc eam adduxi, quo te monerem, vt nactus nouum & honorificum Symbolum, siue per solam famam, siue per famam simul & obsequium Pastoris illius Glogouiensis, nō tam facilè illud transferas ad gentem tibi inuisam: nimirū ad Monachos, & specialiter Carmelitas: quibus in tuo Responso, dicis, ex GREGORII Papæ IX. effato, *solos Asinos Masculos successisse in ministerium.* Sic & alibi, vt suprà *Cap: 10.* indicaui, viris Religiosis aliquid Asinini tribuis. Parce Hulsemane, titulo tuo, à tuismet tibi collato. Sint tua tibi insignia integra; quæ tibi non inuidet Carmelitica Familia, vel vllus Ordo Religiosus. Aut certè caue, ne conuicium Asini toties in te retorqueas, quoties illo viros Religiosos feris.

Quod si nec sic quidem conuicia Asinina in nos iactare desinas, vide ne quid simile contingat tibi, quod ætate tuâ contigit cuidam Caluinistæ: prout Iacobus Gaulterius in suâ Chronologia, circa sæculum decimum septimum, mihi fol: 821. refert, in hunc modum: *Mense circiter Iulio, anni eiusdem 1613. Vllanouæ, in Prouincia Vinariensi, moritur Notarius quidam publicus Caluinianus: qui Sacerdotes, pro Defunctis, dum ad sepulchrum deferrentur, psallentes, irridere, ac rudentibus Asinis æquiparare consueuerat. Hic cùm effertur, ecce apparet magnus Asinus coloris fusci, qui nullâ ratione abigi potest, quantumcunq; id iubeat Minister: quiq; vnde venerit? aut cuius fuerit? nemo scit: is quidem circa mortui cadauer horrendum in modum rudens ac sepulchrum eius aliquoties circumiens: demum eos qui funus erant comitati, ad defuncti domum rede-* *Pœna irrisorū cæremoniarum Ecclesiæ.*

untes,

untes, ſecutus, euaneſcit. Et mox certitudinem huius relationis confirmat, ſubiungens: *Res ita explicata, illic exploratáq; omnibus eſt, vt nemo ſiue Catholicorum, ſiue Caluiniſtarum, inficiari audeat.* Quod contigit Caluiniſtæ, caue, ne tibi quoque Lutheriſtæ, contingat; eademq; pœna afficiat, quos commune crimen ligat.

Et quidem pleriq; Summorum Pontificum, Carmelitas, Succeſſores Eſſenorum, in ſuis Diplomatibus vocârũt: qui quidem Eſſeni, in antiqua lege, erant filij Prophetarum, circa Iericho, ad inſtar Religioſorum, degentes: dicti Eſſeni, quaſi Eliſeni, ab Eliſeo Prophetâ; quem in locum Eliæ, pro ſuo recognoſcebant Superiore. Vel certè ſecundum S. Chryſoſtomum, *Hom: 44. in Act: Apoſtol:* & Philonem, in Lib: cui titulus: *Quod liber ſit probus*; Eſſeni à vitæ ſanctitate erant dicti. De quibus fuſiùs. Nicephorus *Lib: 2. Hiſt: c. 15.* Genebrardus *Lib: 1. Chronol:* Anno Mundi 3272. Plinius *Lib: 5. Nat: Hiſt: c. 17.* Et Solinus *cap: 36.* præter plures alios Sacros & Profanos Authores. His ergò Eſſenis, Carmelitæ, iuxta Pontificum dicta, non Carmelitis Aſini, ſucceſſerunt. At tu Hulſemane, celeber ille Academiæ Vitembergenſis (vt iactas) Profeſſor ac Theologus: imò (ſi Superis placet) Prælatus & Presbyter illius Eccleſiæ; ſcilicet in eo gradu, quo illi, qui à Mofti Turcico, (cui alibi placuit temeritati tuæ, Summum Antiſtitem noſtrũ comparare) ordinati ſunt, nõ verò ſecundũ Ordinem Melchiſedech: tu ergò inquam talis, ac tantus, adhuc in legendo offendis, vt & verba tranſponas, & legas, pro *Eſſenus*, *Aſinus*.

Vide P. Thom: Carmel: Diſcal: in Regulã. Part: 1. cap: 1.

Aut certè malignus quidam humor oculos tuos occupauit,

pauit, vt quondam Antipheronti: quem Aristoteles *Lib: 3. Meteor: c. 4.* refert, taliter oculos affectos vitioso quodã humore habuisse, vt nonnisi se videret, sibi ipse semper obijceretur, seipsum, suamque imaginem, continuò ob oculos versaret. Sic tibi Hulsemane, Asinus vbiq; obijcitur: scilicet Antipheron sibi, tu ipse tibi.

Hæc de tuo Responso, contra meam, vt dicis, Inuectiuam: vel veriùs de tua Inuectiua, contra meam Satisfactionem: Ex quâ, vt dixi, ampliùs confirmor, me semper liberum forè futurum, ab onere respondendi tibi, quicquid iterum, atq; iterum, contra me euulgaueris. Quandoquidẽ & ad hæc quæ in prædicta tuâ Inuectiua complexus es, ex dictis hactenus, in promptu habeas responsum; ad quæ te, Lectoremq; remitto. Quod enim symbolum tuum tanquam innoxium iustificas, luculenter è contra probaui, quãtum illud ad suspicionem pro cautelâ ingerendam sufficiebat, & in ipsa Satisfactione *Cap: 3.* & postmodum *Cap: 12.* atq; sequentibus. Quod verò contra eandem Satisfactionem meam multis inueheris, hæc omnia elido *Cap: 7.* & seq. Quod deniq; ad conuicia spectat quæ multiplicas & acuis: nonnullas item obiectiones in Causâ Religionis: hæc huiusmodi esse, nullam vt postulent replicam, ostendi *Cap: 17.* & seq: vsq; ad præsens, inclusiuè.

Itaq; nec futilia tua opus habebo ampliùs refutare: nec cum contentioso congruum arbitror contendere: nec cum maledico maledictis certare; quin potiùs in illa bonâ fide, quam de me concepisti, & in tuo Responso expressisti, te conseruabo: quòd nimirum *necdum maledicere didicerim.*

Fateor Hulſemane, quòd necdum hanc Artem didicerim: ſed nec in eâ Scholâ, vt aliquando addiſcerem, me exercitauerim. Tibi Scholæ illius Lauream, imò & Cathedram, vltrò cedo: ipſi lubens renuncio.

Vltimam tandem nunc adiungo cauſam, quæ potiſsimum calamum meum ad reſpondendum tibi, ſi quid fortè adhuc contra me præſumpſeris, cohibebit: & eſt Apoſtoli Regula *Titi: 3. Hæreticum hominem, poſt vnam & alteram correptionem, deuita.* Non te facilè, vt opinor, Hæreticum hominem appellari patieris, Hulſemane. Vtinam ſic nolis eſſe, ſicut nolim te vocare. Neſcio verò quam poſsis iniuriam prætendere, ſi eo te vocabulo appellem, quo tu ipſe nos Catholicos haud raro vocare præſumis; & noſtram doctrinam Hæreticam ſæpiùs audes appellare. Sic videre eſt, præſertim in Lib: Animaduerſ: *cap: 1.* vbi velut alter Apollo ex tripode, multiplices Papatus hæreſes pronuncias. Quid miramini viri Lutherani; quod Summus Pontifex ex Cathedra Petri damnat Hæreſes? En vnus Prædicans ex Cathedrâ Vitembergēſi, audet, non minùs præſumptuosè, quàm inaniter, tot contra Catholicam noſtram Eccleſiam Hæreſes pronunciare, illamq; de tot hæreſibus damnare.

Hæretici poſt alteram correptionē vitandi.

Hæreticum ergò ſi te dixero, qui nos ex vna parte iniquè vocas Hæreticos, quiq; ex alia parte, doctrinam hæreticam, à vera Chriſti Eccleſia legitimè damnatam, palam profiteris, & obſtinatè, ac contumaciter defendis, iniuriam tibi nequaquam fecero. Poſt vnam itaq; & alteram correptionem, quam hactenus per me recepiſti, te iuxta Apo-


stoli Consilium, in posterum iam deuitabo. Interim tamen precor, & precabor Cœlestem Regem, velamen vt ab oculis cordis tui auferat, illuminet tenebras tuas, & vocet te in admirabile lumen suum, ac reducat in viam veritatis.
AMEN.

LAVS DEO, VIRGINIQVE MATRI.

Omnia Cẽsuræ & Iudicio SS. Romanæ Ecclesiæ, quæ est Columna & firmamentum Veritatis, *subÿcio.*

Paratus corrigere, quæcunque erunt corrigenda.







Index Alphabeticus rerum notabilium, quæ in hoc libello continentur.

Deo non

I.

L.






...ni mentem & animum inspexi; adeoq; gratam eorumdem ...
...jest: Vestra rebus meis facilè polliceor. Qvid reliqvum est,
Vestræ immortalis gloriæ fastigium, diuturnum S. R. Imp...
...orum subjectorum moderamen, Augustissimæ Domûs floren...
...menta, continuam ex communi hoste triumphorum seriem, al...
... pacis uirentem oleam, ex ea, qva præ cæteris in Majest: ...
...feror, animi & submissionis devotione, exoptans, Augustam...
...ve triumphalem manum Majest: Vestræ reverenter exoscul...

... przez Niedźiel dwie nie było wiádomośći z Polski...
...pisał do Graffá á Phnar Generálnego w Wiedniu Poszt...
...gistrá, rekommenduiąc listy ná pocztách z Polski y do F...
idące, de tenore tali.

Excellentissime & Illustrissime D...

Qvamvis minimè dubitem, ita esse ubiqve, Postarum ... ditiones Sac: Cæs: Reg: Majestatis, literarum securitati ab ... cellentia provisum; ut qvilibet instituto hoc publico ... mercio commodè & certò frui posset. Memor tamen ... sex circiter annos, dum in simili functione tractandæ pacis ... Turca in Hungaria morarer, imputatum mihi fuisse, ex oc... one deperditarum in posta literarum me concernentium, ... eas singulari recommendatione à die ingressus mei in Reg... hoc, Excellentiæ Vestræ non insinuaverim. Facio id in... sen...arum, cum debita in Personam Excellentiæ Vestræ, tot ...orum plenam, observantiâ & cultu, enixè rogans, qvat... ...eras meas, tam has, qvas per Viennam Cracoviam us... ...àm per Agriam & Tokainum, in Poloniam dirigendas ...inc recipiendas habeo, accuratiori diligentiæ & curæ D... ...rum PostMagistrorum, ne deperdantur in Postis, recom... ...re dignetur. Qvod, qvò magis justitiæ & æqvitati con... est, eò faciliorem mihi ab Excellentia Vestra ejus rei suc... sum polliceor, non defuturus Excellentiæ Vestræ in oc... rentibus m... ... promptis obseqviis & non segni...


.I.22